

H-D
16
27

Sala

Gab. 1

Est. 8

Tab. 1

N.º

CAROLI ANTONII

LIB. BAR.

DE

MARTINI

S. C. A. A. M.

IN SUPREMO IUDICIORVM TRIBVNALI

A CONSILIIIS AULICIS,

ET P. P. O.


DE LEGE NATVRALI

DISSELTATIONES VI.

AD IUDICANDVM

IN REBUS VINDOBONENSIBUS MUGGERI

NOVEMBRI 1774



IN AUSTRIA

IN VIENNA

MDCCLXXIV.

IN AUSTRIA

IN VIENNA

IN AUSTRIA

IN AUSTRIA

2256

H-D
16
27



CAROLI ANTONII

LIB. BAR.

DE

MARTINI

S. C. R. A. M.

IN SUPREMO IUDICIORVM TRIBVNALI

A CONSILIIIS AVLICIS,

ET P. P. O.

DE LEGE NATVRALI
EXERCITATIONES VI.

EDITIO NOVA

SECVNDVM VINDOBONENSEM MDCCLXXX

CORRECTA ET EMENDATA.



CONIMBRICÆ:

TYPIS ACADEMICIS.

A. D. MDCCLXXXIII.

*Cum facultate Regie Curie Commissionis Generalis
pro Examine & Censura Librorum.*

FACULDADE DE DIREITO

Taxatum hujus Libri pretium est 480.

BIBLIOTECA

Dr. Botelho
Pereira Forjaz de Sampaio.

no. 7246

Quidnam esse, Brute, causæ putem, cur, quem consuemus ex animo & corpore, corporis curandi, tuendique causæ, quæ sita ars ejus atque utilitas animi autem medicina nec tam desiderata sit, antequam inventa, nec tam culta, posteaquam cognita est, nec tam multis grata & probata, pluribus etiam suspecta & invisæ?

CICERO Tusc. Disp. III. pr.



SERIES CAPITVM.

I.

DE *Natura statuque hominum morali.* . pag. 1

II.

De Obligatione, Lege, & Jure generatim, ac singulatim Naturali. 61

III.

De Legum Naturalium principiis ac proprietatibus. 124

IV.

De Juribus hominum universalibus, & eo, quod inde fluit, actionum moralium discrimine. 190


V.

De varia actionum moralitate, imputatione, ac conscientia 236

VI.

De Juris Naturalis partibus atque usu. 305

C A-



SERIES CAPITVM

I.

De Natura Juris positivae generalis. pag. 1

II.

De Origine Juris positivae generalis. pag. 10

III.

De Legibus Naturalibus principis ac principibus. pag. 125

IV.

De Juribus hominum naturalibus, § 10, § 11, § 12, § 13, § 14, § 15, § 16, § 17, § 18, § 19, § 20, § 21, § 22, § 23, § 24, § 25, § 26, § 27, § 28, § 29, § 30, § 31, § 32, § 33, § 34, § 35, § 36, § 37, § 38, § 39, § 40, § 41, § 42, § 43, § 44, § 45, § 46, § 47, § 48, § 49, § 50, § 51, § 52, § 53, § 54, § 55, § 56, § 57, § 58, § 59, § 60, § 61, § 62, § 63, § 64, § 65, § 66, § 67, § 68, § 69, § 70, § 71, § 72, § 73, § 74, § 75, § 76, § 77, § 78, § 79, § 80, § 81, § 82, § 83, § 84, § 85, § 86, § 87, § 88, § 89, § 90, § 91, § 92, § 93, § 94, § 95, § 96, § 97, § 98, § 99, § 100.


V.

De virtutibus naturalibus, § 1, § 2, § 3, § 4, § 5, § 6, § 7, § 8, § 9, § 10, § 11, § 12, § 13, § 14, § 15, § 16, § 17, § 18, § 19, § 20, § 21, § 22, § 23, § 24, § 25, § 26, § 27, § 28, § 29, § 30, § 31, § 32, § 33, § 34, § 35, § 36, § 37, § 38, § 39, § 40, § 41, § 42, § 43, § 44, § 45, § 46, § 47, § 48, § 49, § 50, § 51, § 52, § 53, § 54, § 55, § 56, § 57, § 58, § 59, § 60, § 61, § 62, § 63, § 64, § 65, § 66, § 67, § 68, § 69, § 70, § 71, § 72, § 73, § 74, § 75, § 76, § 77, § 78, § 79, § 80, § 81, § 82, § 83, § 84, § 85, § 86, § 87, § 88, § 89, § 90, § 91, § 92, § 93, § 94, § 95, § 96, § 97, § 98, § 99, § 100.

VI.

De Juris Naturalis positivae principibus. pag. 305

C A-



CAPUT PRIMUM

D E

NATURA STATUQUE HOMINUM MORALI.

1. *Naturæ notatio, & definitio.*
2. *Datur natura æterna.*
3. *Necessaria & independens.*
4. *Immutabilis porro, simplex, atque infinita, &c.*
5. *Ab hoc mundo.*
6. *Ac quibuscumque ejus Elementis diversa, quæ dicitur Deus.*
7. *Quod & aliis argumentis probari solet.*
8. *Cur jam Naturæ Auctor Deus, jam vires mundi motrices.*
9. *Jamque vis cujusvis Entis propria, immo & ejusdem essentia tam possibilis, quam existens, naturæ nomenclatur.*
10. *Naturale quid dicatur.*
11. *Hominis natura unde sit derivanda.*
12. *(1) Quoad corpus.*
13. *Hoc suas habet motus regulas.*
14. *Unde illius perfectio, aut imperfectio.*
15. *Nec non bonum, malumque intelligitur.*
16. *Et (2) quoad animam generatim.*
17. *Vel intuitu (a) perceptionum.*
18. *Vel (b) phantasiæ.*
19. *Quæ varie adjuvari, ac impediri potest.*
20. *Vel (γ) facultatis appetendi, aut averſandi sensitive.*
21. *Istam boni & mali representationes impellunt.*
22. *Variique stimuli naturales.*
23. *Cum propensionibus adſcitiis haud confundendi.*
24. *Quomodo appetitio aut averſatio in affectus ubeant.*
25. *Et quæ horum sint radices.*
26. *Sæpe anima est indifferens; aliquando in æquilibrio.*

27. Quæ anima hominis in specie ejusque facultates.
28. Cum (a) in cognoscendo attentio, reflexio, intelligentia.
29. Deinde ingenium, ratio, atque judicium.
30. Quibus evidentia perfectionem; opinio, ignorantia, error imperfectionem afferunt.
31. Tum (b) in appetendo voluntas, & declinatio.
32. Hæ agere nequeunt sine momentis.
33. Quæ vera sunt aut opinata.
34. Ambo vel in se, vel comparative tantum.
35. Quando appetitiones pugnent inter se.
36. Definitur actio interna, externa, mixta, permissio, possibilitas, seu facultas agendi.
37. Nec non impossibile, necessarium, contingens.
38. Necessitas simplex, & cum adjunctione interior, ac exterior.
39. Principium quotuplex sit.
40. Gaudet anima spontaneitate.
41. Et nudo arbitrio.
42. In actionibus intellectus, & voluntatis.
43. Refellitur, quod objicere posset.
44. Gaudet & libertate.
45. Quod ulterius declaratur.
46. Inde novæ actionum divisiones, earumque principia ducuntur.
47. Quæ actio lubens, quæ invita per violentiam, aut errorem.
48. Datur libertas determinationis, executionis, contradictionis, datur & libera cessatio.
49. Hominis dotes inutiles sine aliorum auxilio & socialitate.
50. Naturæ definitio ad hominis corpus, atque animam proprie applicatur.
51. Improperie vero ad ejus indolem, temperamentum, consuetudinem & nativitatem extenditur.
52. Sed posteriores hæ naturæ primam illam non tollunt.
53. Et perperam pro vera hominis naturæ usurpantur.
54. Status quid? Naturalis, vel adventitius.
55. Estque hominis physicus, vel moralis.



§. I.

NATURA Græcis φύσις a φύω gigno inde dicta est, ut observat **SERVIUS** (a), quod nasci aliquid faciat: atque in hanc originem vocis, quotquot a Philosophis datæ sunt naturæ definitiones, variæ licet ac vehementer discrepantes, conspirant; abjectis enim, quæ ad propriam cujusvis hypothesein pertinent, notis, eam omnes dicunt vim cientem motus, seu *Principium actuosum*, quod scilicet rationem continet operationum, *entis internum*.

Naturæ
notatio
& definitio.

(a) Ad Virgil. *Georg.* II. 49.

Id ne ultro affirmare videamur, juvat aliquas Veterum, ac Recentiorum definitiones proferre: ac **ARISTOTELES** quidem, *Physic.* II. c. 1, & *Met.* I. c. 7, Naturam *Principium & causam motus atque quietis in eo, in quo primum est per se, non ex accidente*; **ZENO** *Ignem artificiosum ad gignendum progredientem via*; **EPICURUS** *Corpora*, seu rerum materiam, ex qua & a qua fierent omnia, & *inane*, adpellant: **V. CICER.** *N. D.* II. 22, & 23. Ex Recentioribus **CHR. WOLFFIUS** *Dan.* Sennertum secutus eam definit: *Principium actionum & passionum entis Internum.* *Cosm.* §. 145. **THOMASIVS**, *invisibilia, quæ tangi non possunt*; ut semper natura denotet *potentias & virtutes.* *Fund. Jur. nat.* L. I, c. 1, §. 3. Igitur, si Epicuri atomos,

mos, Zenonis ignem, & quem Aristoteles sensisse creditur, calorem animale ex sole & astris natum generationis universæ causam, MOSHEIM *ad Cudworth. Syst. Int. C. V. Sect. 2, § 27, n. 2*, a primis illis definitionibus abstrahamus, patebit, naturam omnibus esse *vim gignentem* aliquid: & solum, undenam hæc sit, discrepari.

Datur natura æterna.

§. 2. Res innumeras existere in hoc universo, aliasque ex aliis oriri quotidie in tuemur: quoniam vero sine ratione aliquid esse, fierive, ac vim efficiendi nihilo tribuere, manifestam involvit repugnantiam, nihilum enim, seu quod non est, tamen esse simul & aliquid producere putaretur, nullum sane fingi tempus potest, quo nihil prorsus extitisset; sed æternam quamdam esse Naturam confitendum est.

Qui *casu & fortuna*, quæcunque sunt, progenita esse effutiunt, qualem his vocibus subdant potestatem, declarent, necesse est; vel enim *casus & fortuna* illis nihilum est præter inanem sonum, vel hæc voces aliquam quidem, sed ignoratam causam designant; si prius, aliquid fuisse antequam esset, consequetur, quod aperte absurdum; si posterius, id tamen, quod sumpsimus, manebit. Præclare CICERO: *Quidquid enim oritur, quaecumque est, causam habeat a natura necesse est. . . Causam igitur investigato. Si nullam reperies: illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuisse sine causa. Divin. II. 28.*

§. 3.

§. 3. Quæ sæculis omnibus prius fuit natura, quam nos facti, atque in lucem editi simus, nisi per se ipsam & necessitate intestina existere statuatur, fortuita tantum, aut, quod idem est, contingens & ab alio auctore creata prodibit; aut indagare tunc ulterius oportet, unde alius iste auctor proficiscatur, eaque tamdiu recurret quæstio, donec ad ultimam & sufficientem pervenitur rationem. Hæc in progressionem causarum in infinitum non est, quum nova semper requiri possit. Vel sic igitur æternæ non modo, sed etiam absolute necessariæ, ac a nulla alia pendens naturæ existentia elucet.

Necessaria & independens.

Eo recidunt argumenta, quibus ex motu motorem, e re producta improproductam, seu ex facta non factam arguunt. Nullam vero contingentium seriem excogitari posse, quæ non in quodam necessario terminetur, vel noto ovi & gallinæ exemplo etiam rudes intelligent; quousque enim progrediaris, semper ovum ponere debes, ut gallinæ ortura concipere possis; & rursus gallina ante ovum ponenda, quam ovi existentia concipiatur. Quamdiu igitur in illa subsistitur serie, nulla unquam ovi aut gallinæ sufficiens ratio reperitur. WOLF. *Cosmol.* §. 90. Non inseite in hanc rem Carneades apud CICERONEM *N. D.* III. 12. *Si nullum, ait, corpus immortale sit, nullum esse corpus sempiternum. . . & si omne animal mortale est, immortale nullum est.*

-nol

§. 4.

Immutabilis porro, simplex, atque infinita, &c.

§. 4. Atque hac primæ & per se existentis naturæ necessitate perfecta, id quoque intelligitur; eam nullis unquam mutationibus aut interitus periculo subesse posse: quid autem inscitius quam illam naturam, quæ nec incrementi, nec diminutionis est capax, compositam dici aut finitam, aut quum infinita sit ac simplex non primum unam esse, dein immensam & interminatam, postremo omnia, quæ eidem inesse possunt, absolute sine ullo gradu simul possidentem?

Quæ cum entis necessarii notione conjuncta sunt attributa, & proprietates, eorum demonstrationem præbet Theologia naturalis: quare vel cum Pufendorffo, O. H. &c. I. IV. 5, Coccejo, Syst. I. N. §. 24, Heineccio, El. J. N. I. 127, aliisque inde tantum sumi, vel etiam ex dictis latius evolvi possunt. Nec illa Ethnicis cultioribus erant incognita: præclare SOPHOCLES:

*Unus profecto est, unus est tantum DEUS,
Qui cælum & amplum condidit terræ globum:*
apud EUSEB. *Præp. Evang.* p. 348; & CICERO ipse: *Nec DEUS, inquit, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens, ipsaque prædita motu sempiterno. Quæst. Tusc. I. 27.*

Ab hoc mundo.

§. 5. Has ita expositas primæ omnium naturæ proprietates ad totum hunc mundum adspectabilem non pertinere, res est lon-

longe manifestissima. Est enim mundus Ens compositum ex plurimis corporibus, quorum alia nascuntur, alia cadunt, & tali sibi invicem succedunt serie, ut diversissimas ab his rerum successiones fieri nullo modo repugnet. Ubi igitur mundi necessitas, ac immutabilitas, ubi infinitio?

Temporum varietates, cœli mutationes, aliasque innumeras rerum vicissitudines in hoc universo quis ignorat?

*Habet novitatem, summa recensque
Natura est mundi, neque pridem exordia cœpit;
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur,
Nunc etiam auferuntur, nunc addita navigiis
sunt
Multa*

Ut recte hac in re LUCRET. *Rer. Nat. V.* 331. Quam diversa non esset Europæ facies, si nec America detecta, nec pulveris pyrii, artisque Typographicæ usus repertus esset? Qua ratione vero hisce primum adinventis ineluctabilem æternamque necessitatem tribuemus? Sed nec a mundi æternitate ad ejusdem necessitatem peti posset conclusio. Vid. DARIUS *Th. Nat. §. 122.*

§. 6. Cur vero nec corpora propter soliditatem individua sive atomi, nec materia uniformis, nec elementa rerum materialium, aliaque Entia simplicia, e quibus concretum est hoc universum, istam sibi vindicare possint dignitatem, eadem sunt

Ac quibuscumque ejus Elementis diversa, que dicitur DEUS.

sunt causæ, quæcumque enim adsumantur primigenia mundi stamina, finita ea esse oportet, atque fortuita; quum & a mundo non differant, & plura dari infinita, perfectæque eadem utique absurdum sit. Tandem hujusmodi orbis semina vel sunt tantum patibilia; & primo indigebant motore ab ipsis distincto: vel proprio simul feruntur impulsu; & aliqua iterum necessaria fuit infinita effectrix causâ, ut his potius, quam tot aliis possibilibus concursionibus inter se cohærescerent: atqui primam talem causam totius universi & omnium, quæ in eo deprehenduntur, nominamus DEUM: datur igitur profecto DEUS.

Quum mundi compositio atque mutabilitas in sensu omnium cadat, eam negare nemo facile ausit; sed ne dein ad materiam absolute necessario existentem recurratur, addita fuit hæc paragraphus. Ac atomos quidem finxerat Democritus, quem Leucippus, Epicurus, Lucretius secuti sunt. Cum vero iis variam tribuant figuram, CICERO N. D. I. 14; patet atomos longe abesse a necessitate. Præterquam quod harum defensores, cum duo querenda sint, unum, quæ materiâ sit, ex qua quæque res efficiatur, alterum, quæ vis sit, quæ quidque efficiat, de materia differuerunt, vim & causam efficiendi reliquerunt, ut Idem scribit Fin. I. §. 6.

§. 7. Sunt & alia multa, quæ probandæ hujus veritatis argumenta proferri vulgo solent, cum a sensibus abstracta & metaphysicis elicitâ principiiis; veluti quando ab Entis infiniti possibilitate & idea ad veram ejusdem existentiam concluditur: tum popularia omniumque mentibus accomodata; quorsum *Physicum* ab eximia pulchritudine & ordine hujus universi, *historicum* ab unanimi cunctarum gentium consensu, *politicum* denique a maxima hujus persuasionis utilitate repetitum pertinent. Ast primum illud non æque omnium subigit animos; secundo ad ulteriora quædam summi Numinis attributa demonstranda potius utemur; quantum vero tertio & quarto infit ponderis, aptior erit infra dicendi locus. (§. 131.)

Quod & aliis argumentis probari solet.

Erunt fortasse, qui hanc materiam a re nostra prorsus alienam putent. Sed præterquam quod nobis prævivere Winklerus, I. c. 3, Pufendorffus, I. IV. 2, Coccejus, §. 24, Burlamaquius, II. I. 8, immo etiam Hobbesius XV. 14, iiique ipsi, qui investigandas in progressu veritates alia etiam methodo eruere conantur; V. KOELER *Exerc.* §. 284, 286, 289; qua ratione id prætergredi licuisset, quod duo magni viri LOKIUS *de Intell.* L. IV. c. X. §. 7, & LEIBNITIUS *Ep. Cens. ad Puf.* §. 16, unicum hujus disciplinæ solidum fundamentum esse statuunt cum aliis plurimis? Quam recte! infra constabit. Sane CICERO, cum de legibus agere constituis-

set,

set, *Dasne*, inquit, *Pomponi de Deorum immortalium vi, natura, ratione, potestate, mente, numine, sive quod est aliud verbum, quo planius significem, quod volo. Naturam omnem regi; nam si hoc non probas, ab ea nobis caussa oriendum est potissimum*, de LL. I. c. VII. Scriptores de DEI existentia egregios laudat TREUER. ad Puf. l. c.

Cur jam
Naturæ
Auctor
Deus, jam
vires
mundi
motrices.

§. 8. Ex his, quæ hæctenus disputata sunt, ratio reddi potest, cur naturæ nomen, nunc pro ipso DEO, nunc pro tota hujus mundi machina usurpatum sit. Est enim DEUS, qui omnia nasci fecit; mundus autem vim sibi a DEO initio tributam innumeris manifestat modis sine ulla minimi temporis intermissione; atque vis hæc rerum in hoc mundo existentium a rebus ipsis abstracta haud inconcinne *Natura* adpellatur. Quamquam non deerant, qui abusi vocis ambiguitate creatam hanc naturam cum increato ejusdem Auctore turpiter commiscerent.

Varias hæc Naturæ significationes plurima Veterum loca comprobant. Ita (a) pro DEO sumpsit SENECA, *Ben. IV. 7.* ibi: *Natura inquit, hæc mihi præstat: non intelligis te, cum hoc dicis: mutare nomen DEO? Quid enim aliud est Natura quam DEUS! & alibi: Vis illum, Jovem, Naturam vocare, non peccabis, est enim ex quo nata sunt omnia.* N. Q. II. 45. Idem habet TAURUS apud GELLIUM XII. 5: *Naturam omnium rerum quæ nos genuit.* (b) Pro mundo accepit CICERO de LL.

I. L. §. 7, cum dicit: *Deorum immortalium vi, natura, ratione, potestate naturam omnem regi.* (c) Ast plures utrumque confuderunt, uti PLINIUS, H. N. II. 1. *Mundum & hoc, quod alio nomine Cælum appellare libuit: Numessen e credi par est, idemque Naturæ Opus, & rerum ipsa Natura.* Unde haud immerito conquestus est LACTANTIUS, *Illos uno Naturæ nomine res diversissimas comprehendisse, DEUM & Mundum, artificem & Opus, Inst. Div. VII. c. 1.* Ideo Scholastici DEUM *Naturam naturantem, Mundum Naturam naturatam* adpellarunt. V. WOLFF, *Theol. Nat. P. I. §. 822.*

§. 9. Quemadmodum virium omnium complexus in hoc universo communem naturam constituit; ita efficacitate agendi cujusvis Entis propria particularis ejus natura continetur; quam cum non nisi per fictionem a re ipsa distinctam mente & cogitatione consideremus, aliæ ortæ sunt vocabuli naturæ significationes cum prima illa tamen, & inter se colligatæ; etenim rerum quarumvis *essentiæ* sive *logicæ* soloque animo conceptæ, sive *physicæ* actuque existentes *Naturæ* nominantur.

Jamque vis cujusvis Entis, propria, immo & ejusdem essentia tam possibilis, quam existens naturæ nominantur.

Neque heic difficile fuerit probare usum loquendi. Siquidem observat CICERO, *Naturas esse diversas, ut aliud equo sit Natura, aliud bovi, aliud homini; & tamen in omnibus summa, communis, & quidem non solum in animalibus, sed etiam in rebus omnibus iis, quas natura alit, auget & tuetur.* V. de Fin. 9.

Improperie autem Natura pro essentia rei, quatenus tantum est possibilis, usurpatur; veluti cum definitio dicitur explicare rei naturam; proprie enim Natura differt ab Essentia, quia hæc absolvitur sola interna rei possibilitate; Natura vero vim cum existentia conjunctam complectitur: quare CUDWORTH. *de Ætern. Just. & bon. not.* L. 1. c. 2, §. 2, *Naturam rerum vocat, id, quod res sunt, nec quidquam aliud.*

Naturale
quid di-
catur.

§. 10. Naturale est generatim, quod intelligi atque explicari potest ex rei alicujus natura. Palam igitur est hoc nomine venire, quidquid aut ex Entis cujusdam essentia, notione, seu conceptu primo, aut ex ejus essentiæ actu existente, aut ex principio rei alicujus actuoso proficiscitur. Quum vero, quod fuit ex rei natura, vel in ea sola rationem sufficientem habet, vel in alia simul quadam adjunctione: hinc naturale in ABSOLUTUM, seu mere tale, & in HYPOTHETICUM distribuunt. Sed & naturale, quod per se inest rei existenti, vel est pariter ESSENTIALE, si rei ita inest, ut salva ejus substantia abesse nequeat; vel NON ESSENTIALE, *naturale in specie*, si ex re quidem per se consequitur, verum salva ejus substantia tolli, variarique potest.

Eadem re ipsa est *re naturalis* notio, quam dederunt D. THOMAS, I. 2, Q. 10, *art.* 1, & WOLFFIUS *Cosm.* §. 509. Diversas autem naturalium species hæc in præsentis exempla

pla illustrabunt: Solem oriri, occidere, lapidem ad centrum tendere, aurum posse liquefieri, est naturale *absolutum*; aut aurum esse actu liquefactum, triangulum esse figuram æquilateram, vel scalenam, est naturale *hypotheticum*. Latrandi facultas canis naturalis videtur, absoluta atque *essentialis*; aut facultas mordendi naturalis quidem, sed *non essentialis*; manet enim canis substantia etiam dentibus avullis. V. L. 3, §. 7, de *Æd. Edict.* Hic igitur *Essentialia*, proprietates, attributa, & substantialia sunt synonyma, & ab iis differunt non modo *accidentalibus*, quæ plane rei per se non insunt; sed etiam *naturalibus*, in specie; modi stricte dicti. Aliis id expræsit vocibus LUCRETIVS, cui

CONJUNCTUM est id, quod nunquam sine
perniciosa

Discidio potis est sejungi seque gregari,

Pondus uti saxi, calor ignibus, liquor aquai

- - - - - *cetera quorum*

Adventu manet incolumis natura habituque,

Hæc soliti sumus, ut par est, EVENTA vocare. R. N. I. v. 452.

§. II. Nunc de hominis natura videamus. Communes equidem nos habere cum omnibus corporibus figuram & quantitatem; cum plantis & arboribus augescendi potentiam; cum luna, planetis, aut statua quadam artificiosa vires locomotivas; cum belluis demum sui rerumque extrinsecus objectarum cognitionem facile quivis deprehendet. Sed præter singularem humani corporis structuram, mens, quæ ideas

Hominis
natura
unde fit
derivanda.

di-

distinctas rerum incorporarum sibi re-
 præsentat, earum causas perspicit, atque
 progressus, præterita præsentibus, ambo
 futuris adjungit, totiusque vitæ cursum
 quasi uno in conspectu contemplatur, ea
 sane solius hominis est propria. Quare in
 definitione, qua homo a plerisque *animal
 rationale* dicitur, neque abesse quidquam
 videtur, neque redundare.

Plenam esse hanc definitionem negant *Tria-
 lista*, qui tres faciunt hominis partes: cor-
 pus, animam, atque spiritum. Sed redundans
Monistis videtur, qui nonnisi unicam par-
 tem statuunt, & quidem vel animam solam,
Idealista, vel solam materiam, *Materialista*.
 Istorum errores *Metaphysici dualista* latis
 refutarunt. Adposite ad horum mentem ad-
 vertit CICERO: *Animal hoc providum, sagax,
 multiplex, acutum, memor, plenum rationis,
 & consilii, quem vocamus hominem, præclara
 quadam ratione generatum esse a supremo DEO:
 solum est enim ex tot animantium generibus,
 atque Naturis particeps rationis. I. de LL. 7.*

1) Quoad
 corpus.

§. 12. Ex data modo hominis definitio-
 ne perspicuum est, omnia, quæ eidem
 competunt attributa, vel ex notione ani-
 malis cum brutis communi, vel a pro-
 pria ipsius ratiocinandi facultate esse deri-
 vanda. Animalis essentia duas iterum par-
 tes involvit, *corpus organicum, atque ani-
 mam*. Ac corpus quidem quod attinet, ne-
 mo non experitur, mirificam illius com-

pa-

pagem plurimis esse aptatam mutationibus, quæ ex ejusdem structura, vi motus vel per pressum, vel per calorem, vel per materiæ fluxionem excitatæ consequuntur. Non igitur sine fundamento corpus, *machinam mechanico-pyrobolico-hydraulicam*, definiunt.

Tam stupendum est humani corporis artificium; ut alii ex sola fabrica oculi, alii ex auris conformatione, alii ex structura cordis, alii ex dispositione manus ad infiniti opificis existentiam concluderint. RAYNAUD. Th. Nat. Dist. V. Q. I. art. 6. Et sanæ singulæ ejus partes *incredibilem artificiosi operis divinique testantur*. V. CICERO, N. D. II. §. 53, seqq. Ceterum exempla motus *mechanici*, inclinatio capitis, & usus facultatis locomotivæ, motus *pyrobolici*, ciborum digestio, motus *hidraulici*, circulatio sanguinis suppeditant.

§. 13. Sanitatem corpori tribuimus, vel morbum, prout singula ejusdem membra nativis functionibus suis efficiendis apta, aut inepta invenimus. Igitur rationem aliquam adesse oportet, secundum quam diversi illi motus sint determinandi. Hæc ratio quin verbis exprimi & explicari possit, salutaris artis magistri non sinunt dubitare. Quoniam autem *formula enuntians determinationem rationi conformem*, seu propositio docens, quo modo aliquid fieri debeat, regulæ venit nomine; consequens est,

Hoc suas
habet motus regu-
las.

est, ut quicumque in corpore excitantur motus, suas habeant regulas.

Tales sunt regulæ: Ut ventriculus excipiat & concoquat cibos, dein elaboretur chylus, tum sanguis, hic in arteriis & venis commet & omnibus partibus congruum succum suppeditet. Quæ si cum reliquis, e quibus constat, membris concruant atque inter se, exiit sanitas. Ubi vero *sanguis corruptus est, aut pituita redundat, aut bilis in corpore, morbi ægrotationesque nascuntur*; ut loquitur CICERO Tusc. Disp. IV. 10. Ne vero hæc ab instituto nostro videantur penitus aliena, audiatur ICtius SABINUS morbum definiens *Habitu[m] cujusque corporis contra naturam, qui usum ejus ad id facit deteriorem, cujus causa natura nobis ejus corporis sanitatem dedit.* L. 1, §. 7, dig. de *Ædil. Edict.*

Unde illius perfectio, aut imperfectio.

§. 14. Plura inter se copulata concordant, si ad idem præstandum tendunt, & ex communi quodam fundamento possunt declarari, secus discordant. *Variorum concordia*, seu conspiratio *in unum* dicitur PERFECTIO, *discordia* & contrarietas, IMPERFECTIO. Prior ex omnimoda rei expletione, posterior ex quolibet defectu consurgit. Abit autem perfectio primum in *essentialem, naturalem & accidentalem* (§. 10), dein, prout vel uni, vel pluribus est adstricta fundamentis, in *simplicem, & compositam*, ac demum in *privativam*, quæ rei existentiam conservat, & *positivam*, quæ præ-

præter conservationem , rei adhuc aliquid adjungit. Atque his perfectionum formis totidem imperfectionum genera respondent. Adplicentur hæ regulæ ad varia corporis membra , & perfectane fit machina , vel imperfecta potest judicari.

Imago est perfecta , si v. c. frons , oculi , vultus, ceteraque lineamenta omnia in exemplari suo exprimendo concordant ; alias est imperfecta. Quare SIMPLICIUS , *Non prima tantum* , ait , *& media habere ; sed extrema quoque proprium est perfectionis : ad* EPICT. *Enchir. c. 34. p. 176.* Et CAIUS , *Id perfectum esse* , dixit , *quod ex omnibus suis partibus constaret. L. 1. pr. D. de O. J.* Ratio in homine perfectionem essentialem , sanitas naturalem , doctrina accidentalem constituunt. Dein horologium , quod horam tantum indicat accurate , habet perfectionem simplicem ; quod si minuta , diem mensemque simul designet , aderit perfectio composita. Patet porro tam essentialem , quam naturalem perfectiones privativas , accidentalem vero positivam esse.

§. 15. Inter *esse & non esse* medium nullum dari constat : quidquid igitur in Ente reperitur , vel ejusdem est expletio , vel non est , ac consequenter vel perfectum illud efficit , vel imperfectum. Quum autem BONUM sit , *quod cum perfectione connectitur* , MALUM vero *id , quo posito adest imperfectio* , haud sane difficile est intellectu , omne ,

B

quod

Nec non
bonum,
malum-
que in-
telligi-
tur.

quod in alicujus Entis , adeoque & corporis essentia aut affectionibus occurrit , vel bonum eidem esse , vel malum , nihilque excogitari posse , quod non ad alterutrum pertineat.

Sunt , qui perfectionem inter & imperfectiorem medium aliquod ponunt ob illam rationem , quod si ex pluribus assessoribus unus suffragium suum suspendat in alteram diem , hic neque consentire , neque dissentire dici possit. Verum enim vero etsi talis assessor strictè non dissentiat , neque consentit tamen ; adeoque datur semper aliqua imperfectio , non quidem , ut ajunt , *contraria* , sed *privativa* , seu *remotiva* , quæ in perfectionis negatione consistit. Vid. BAUMG. *Met.* §. 121. Sed & boni notionem plenioram dederunt Recentiores , quam illa est apud CICERONEM , *Fin. II. 2* , ubi bonum definiri posse creditur : *Aut quod prodesset , aut quod juvaret , aut quod liberet modo.* Quoniam vero omne Ens existens perfectionem habet essentialem ; quare *omne Ens bonum metaphysice dicatur* , patescit.

Et (2)
quoad
animam
genera-
tim.

§. 16. Progredimur ad alteram animalis partem , scilicet animam , quo nomine generatim venire diximus Ens illud , quod sui , rerumque extra se positarum , sibi conscium est. Hujus eam vim esse experimur , ut res externas sensibiles sibi subjectas per quinque sensuum instrumenta diversimode repræsentet & percipiat , easque vel præsentem *sentiatur* , vel absentes , sed olim per-

ce-

ceptas *imagnetur*, vel nunquam antea sensibus eo modo comprehensas *fingat*. Negari ergo non potest, percipiendi, imaginandi, & fingendi facultates eidem inesse.

(a) Facultas percipiendi *sensus externus* dicitur, veluti cum CICERO *Sensus facit interpretes & nuntios rerum*, N. D. II. 56, & *satellites naturæ homini tributos*. I. de LL. 9. Ejus facultatis exercitium est *sensatio*, & quæ exin fit mutatio in anima, *Idea vel perceptio*.

(b) Facultas imaginandi & ejus exercitium *imaginationis* voce veniunt promiscue; quæ vero inde sequuntur animæ mutationes sunt *Imagines*, secundum illud OVIDII Trist. III. El. IV. v. 59.

*Conjugis ante oculos sicut præsentis imago est,
Illa meos casus ingravat, illa levat.*

(c) Denique facultas fingendi videtur vocari posse *Phantasia*, ejus exercitium *fiçtio*, mutationes animæ *Phantasmata* vel *figmenta*; ita AUGUSTINUS: *Alexandriam cum eloqui volo, quam nunquam vidi, præsto est PHANTASMA ejus*: de Trinit. VIII. 6. Sed Phantasiam pro imaginandi facultate, & Phantasma pro imagine usurpari passim videas; tum vero figmentum vocant *Phantasma fiçtum*. Sed etiam *sensus* nunc pro facultate, nunc pro organo sensorio, nunc pro ipsa perceptione sumitur. KOELER. §. 26.

§. 17. Quæ in anima existit perceptio, Vel intuitu (a) perceptio- num. cur fit, & cur talis fit, in motu ab objectis externis in aliquam corporis partem inducto rationem habet. Proinde sensus

hisce semper subjacet regulis ; ut *si res externæ non agant in sensuum instrumenta , nunquam oriri possint Ideæ , seu perceptiones ; & contra , ut positæ in organis sensoriis nullo morbo laborantibus mutationi necessario respondeat Idea sensualis.* Ex quibus , cum arctissima colligitur corporis & animæ Harmonia , tum certa , magnumque usum habens , fluit conclusio : *A quo non pendet causa , mutatio in sensuum instrumentis , ab eo nec effectum , perceptionem , pendere.*

Ita nemo videt , nisi lucis radii retinam tangent , & rei objectæ depingant imaginem : ubi vero lucis radii oculos pervaserunt medios , & objectorum imago delineata est in retina , anima non potest eam non percipere. Idem obtinet in reliquis sensibus. Tenenda igitur est regula : *Qui non est causa causæ , non est causa causati ;* ac vicissim. Hoc modo se excusat OVIDIUS *Trist. III. II. V. v. 59 , & Trist. v. 103. seqq.*

*Inscia quod crimen viderunt lumina plector ,
Peccatumque oculos est habuisse meum.*

Vel (β)
phantasiz.

§. 18. Sed & Phantasia ad eum se adtemperat modum : ut *præsentibus rerum imaginibus quibuscumque aliæ , vel ante simul haustæ , vel iisdem similes , integræ aut pro parte , sive in vigiliis , sive somniis recurrere possint ;* positæ igitur sensuum perceptionibus , quæ postea nascuntur phantasmata , non semper queunt impediri. Et quoniam memoria fere omnis , seu facultas ideam pro-

productam agnoscendi, ex phantasia arces-
fitur; quidquid de hac traditur, ad illam
quoque debet adplicari.

Sic si persona, quæ heri visa fuit in comœ-
dia, hodie obviam fiat, facile totius specta-
culi imago recurrit; sic vel nodus necti in
sudario, vel papyri, ut hoc utar, frustulum
in pixide poni solet, ut visis his signis idea
cum iisdem conjuncta reproducat: Ast

Humano capiti cervicem pictor equinam

Fungere si velit,

ut perbelle *Horatius Art. Poet. v. 1;*

Is vanas species & chimæras fingeret. Vid.
& *PLIN. Ep. V. 5.*

§. 19. Ut vero plura, magisque perspi-
cua præsto sint fundamenta, quibus tra-
dendæ in progressu veritates innitantur,
opportunum videtur alias quasdam phan-
tasiæ regulas ex Psychologia huc transfer-
re. Sunt autem hæ: adjuvari imaginatio-
nem, si, quæ reproduci vult idea, *clare*,
vel *recenter*, aut *sæpius*, percepta sit: dein
si perceptio eidem *socia* adjungatur, diver-
sa autem sensatio, *quæ fortis sit*, vitetur;
demum si ad illam, nonnisi *post habitas al-*
terius generis ideas debiliores, revertatur.
Modis porro contrariis instaurationem
ideæ debilitari, aut prorsus impediri li-
quet.

Quæ va-
rie adju-
vari, ac
impediri
potest.

Inde lucem capiunt notæ studendi regulæ:
eo facilius quis domi prælectiones imagina-
tur.

tur. I. Quo clarius atque distinctius illas ante percepit. II. Quo citius eas recolit. III. Et quo frequentius lecta & audita revolvit juxta illud : *Repetitio est anima studiorum*. Siquidem posita sæpius ratione , rationatum quoque sæpius poni debet ; atque huc spectant versus LUCRETII.

*Nonne vides etiam guttas in saxa cadentes
Humores longo in spatio pertundere saxa.*

R. N. IV. V. 1280.

Nec minus ex his intelligitur. IV. Cur in Geometria figura vires addat imaginationi. V. *Carmina autem secessum scribentis & otia quærant* , ut ait OVIDIUS *Trist. l. I. v. 41* ; ac proin VI. verum esse vetus adagium : *Aurora Musis amica*. Vid. BAUMG. *Met.* §. 568. *seq.*

Vel (γ) facultatis appetendi, aut averfandi sensitivæ.

§. 20. Præter memoratam cognoscendi facultatem nisum quoque , ac conatum in anima observamus , quo perceptiones alias producere , alias e contrario abigere molitur. Vim hanc suam anima quum priore exferit modo , tum *appetit* , quum vero posteriore modo determinat , *averfatur*. Habet igitur appetendi , & averfandi facultatem , cujus exercitatio vel appetitiones parit , vel averfationes , quæ *sensitivæ* , seu animales propterea dicuntur , quod a re-præsentationibus sensualibus , ideisque confusis proveniunt.

Igitur adpetebat Canis , qui
*Per flumen carnem dum ferret natans ,
Lympharum in speculo vidit simulacrum suum ,
Aliam-*

*Aliamque prædam ab alio ferri putans
Eripere voluit. PHAEDER. Fab. I. 4.*

Contra averfabantur :

*Columbæ sæpe cum fugissent milvium ,
Et celeritate pennæ vitassent necem.*

IDEM. I. 31.

Utrumque tam appetitum , quam averfationem sic expressit CICERO : *Natura* , inquit , *bestiis sensum & motum dedit , & cum quodam appetitu ACCESSUM ad res salatares , a pestiferis RECESSUM. N. D. II. 12.*

§. 21. Posse animam appetere , posse averfari , fatis quidem expeditum est. Jam vero inquirendæ nobis sunt causæ impellentes , sive elateres , quæ efficiunt , ut in actum erumpat hujusmodi potentia , & ut anima nunc ad rem unam accedat , nunc recedat ab altera , nec eundem semper modum exsequatur. Atqui ab intima experientia quivis edocetur , *simul ac objecta species cujusquam est , appetere omne animal quod bonum sibi futurum cogitat , averfarique contrarium.* Quæ appetitus regula non minore pollet evidentia , quam illæ aliæ de sensatione , & phantasia superius adductæ.

Istam boni & mali repræsentationes impellunt.

Fieri igitur non potest , ut , manente boni convenientis repræsentatione , non adsit appetitus , aut , manente repræsentatione disconvenientis mali , non adsit averfatio. Ast si desinat repræsentatio , appetitus quoque vel averfatio cessabunt. Quam regulam ita enuntiant CICERONIS verba : *Natura omnes ea , quæ bona videntur , sequuntur , fugiuntque contra-*

traria ; & paulo post : *ut bona natura appetimus , sic a malis declinamus.* Tusc. Q. IV. 6. Contingit tamen , ut bonum sæpe non appetat animal. I. Si non cognoscit ; unde *ignoti nulla cupido.* II. Si cognitum non prævidet. III. Si prævisum , ullo tamen suo conatu , existiturum prorsus non præfagit. IV. Si sua non refert ; ideo non appetit sanus medicinam. V. Denique si malum esse cogitat ; quod postremum eo frequentius usu venit , quoniam ab ideis confusis appetitiones sensitivæ derivantur. Eadem est averfationum ratio. Vid. BAUMG. *Met.* §. 665. *seq.*

Variique
stimuli
naturales.

§. 22. Si tamen insuper experimur , cuncta animalia ad aliquid adipiscendum , aut propulsandum citra cogitationem sæpissime stimulari : quemadmodum vehemens dilectio sui , sibique similium , nisus in pabulum & potum , vis repellendæ studium , fuga interitus , generis propagandi lubido , cura natorum , sempiternæ quietis impatientia ac curiositas , aliaque hujusmodi satis id comprobant , nemo utique negaverit , esse propensiones quasdam animæ innatas , ante omnem rerum usum , quum ex iis potius usus proficiscatur ; quæ porro *sensum internum* , dein cogitationem boni vel mali , & demum appetitum vel averfationem progignant ; quæque ideo *conatus essentialis* , *inclinationes congenitæ* , *instinctus intrinseci* , *stimuli naturales* , *prima nature* , & *intus monstrata* adpellantur.

Quo-

Quoniam experientia magis, quam ^{Ratio} ratiocinio hic agitur, ad auctoritatem quoque licebit provocare. Hos autem stimulos cum præclare docent GROTIUS I. c. 2. §. 1; COMBEELLANDUS II. 20; THOMASIVS *Fund. I. I. §. 122, 126*; KOELERUS §. 163; BURLAMAQUIUS I. II. 2. & II. III. 1. *seq.*; COCCEIUS §. 44; DARIESIUS §. 26; SCHMAUSEN I. 10, & II; ANT. GENUENSIS I. 3, ACHENWALLUS §. 14; tum etiam ARISTOTELES *Phys. II. 8*, & CICERO passim. Et hic quidem (a) animal diligere se, *infixum esse*, ait, *in ipsa natura, comprehendique suis cujuscumque sensibus, ut, contra si quis dicere velit, non audiatur*. Simulque, quod obstare videbatur, refellit. *Fin. V. 10.* (b) De stimulo cibi v. *idem Fin. V. 9. Off. I. 4.* (c) De defensione eleganter MORATIUS dixerat *Serm. II. 1. v. 52.*

Dente lupus, cornu taurus petit. Unde nisi intus monstratum?

V. CICERO *Fin. V. 9*, & quæ distinguit Q. MUCIUS in L. I. §. 11. *D. si quadr. pauper.* (d) De fuga interitus v. CICER. *Fin. III. 5.* (e) De procreatione & educatione natorum *idem Off. I. 4. cum L. I. §. 3. D. de F. & F.* (f) De quietis impatientia & curiositate v. CICER. *Fin. V. 18. & 20, & Fin. III. 5.* Adde PLIN. *H. N. VIII. 25.* SENEC. *Benef. I. 3. Ep. 2. 21.*

§. 23. Multum sane ad ea, quæ quærimus, firma naturalium propensionum comprehensio profecerit. Convenire enim omnium animantium essentiæ ac conservationi, bonasque adeo esse probe intelligimus; quod, quamquam dubitationem non

Cum propensionibus adscitijs haud confundendi.

ha-

habet, tamen congenitas inclinationes ab illis, quæ primo post nativitatem ex sensuum externorum perceptionibus oriuntur, summa cautione discerni oportere, et etiam agnoscunt, quibus ceteroquin stimuli naturales in tradenda hac doctrina utramque faciunt paginam.

Quantum intersit pro scopo nostro naturales stimulos contemplari, argumento esse potest, quod uterque COCCEJUS *Differ. X. §. 7. lit. E.* illis utatur, ad probandam hanc disciplinam; eorum usum vere in concipiendis naturæ regulis negligi posse neget KOELLERUS *Ex. §. 163*; omnia fere ab iis duci tradat ERNESTI §. 6, & 15; dein ex his præsentia disciplinarum systemata in plurimis emendari posse judicet GENUENSIS *Met. II. prop. 44.* Iisdem denique totum suum ædificium superstruat SCHMAUSIUS C. III. Cum tamen veros a spuriis distinguendos etiam postremus inculcet, C. I. §. II. ne alias ebriosorum aut mœchorum cupiditates, vel pudor arbitrarius pro naturæ instinctibus venditentur; quænam in specialibus materiis adhibenda sit obrussa, infra ostendemus.

Quomodo
appetitio
aut aver-
satio in
affectus
abeant.

§. 24. Quo plures objiciuntur sensibus causæ aliquid sumendi, vel rejiciendi, eo major fieri debet adpetentiæ, vel aversationis sensitivæ gradus; potest vero alterutra crescere adeo, atque augeri, ut sola dominetur, & plane evanescat contraria. Vehementior hujusmodi animæ commotio

ex

ex ideis confusis orta , seu *prædominium appetitus* , vel *aversationis sensitivæ* , AFFECTUS & perturbatio dicitur. Possibile igitur est , ut appetitio vel averfatio sensitiva in affectus & perturbationes abeant.

Effrenatum fieri appetitum posse expertus est adolescens , quem sic loquentem induxit PLAUTUS *Cistell. II. sc. 1. v. 4*: *Factor , crucior , agitor , stimulator , versor in amoris rota miser , exanimor , feror , differor , distrahor , deripior , ita nullum mentem animi habeo*. Crescere vero averfationem sensitivam sensit alter apud TERENCEM. *Me miserum !* clamat , *vix sum compos animi , ita ardeo iracundia*. *Adelph. III. sc. 2. v. 12*. Non omnis igitur appetitio , vel averfatio sunt affectus , ut THOMASIO visum *I. I. §. 89*.

§. 25. Acriores concitationes in appetendo , *grati & jucundi* , in averfando *ingrati & molesti* sunt affectus. Horum etsi variæ sint partes , omnes tamen ex aliquot præcipuis radicibus fibrarum more enascuntur. Quum enim omnis appetitio sit vel boni impetrati *Voluptas* , vel boni venturi *Desiderium* , *Libido* , & omnis averfatio vel mali præsentis *Tedium* , *Ægritudo* , vel mali fururi *Metus* , sequitur cunctos affectus , voluptatis , libidinis , ægritudinis & metus prædominio contineri , atque esse genera quatuor , *Gaudium* seu lætitiā , *Cupiditatem* , *Tristitiā* , &c *Terrorem*.

Et quæ horum sint radices.

Partitio hæc affectuum jam inter antiquissimos Philosophos recepta est. Sic AGATHO in ἀδελαν. Τὴν ἰδοντα, επιθυμῶν, λύπην, φόβον. Et HORATIUS: *Gaudeat an doleat, cupiat, metuatve*, I. Ep. 6 tum VIRGILIUS *Æn. VI. v. 733.*

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque. Quando vero THOMASIVS affectus omnes ad cupiditatem, avaritiam, & ambitionem reducit, §. 127, 599, de iis tantum, qui ex libidinis prædominio pro diversitate objectorum nascuntur, capiendus est.

Sæpe anima est indifferens; aliquando in æquilibrio.

§. 26. Quoties anima neque in rem quamdam propendet, neque ab ea abhorret, ad illam INDIFFERENS esse dicitur. Adest itaque hæc indifferentia, quando rem talem vel plane non cogitat, vel cogitat quidem, sed non ut bonam sibi, vel ut malam. Quare nec averfatio in sola appetitionis privatione consistit, nec appetitio in nudo averfationis defectu. Sed etiam ab indifferentia differt æquilibrium, in quo stat anima, si pares aliquid ad se relatum optandi, æque ac vitandi rationes videantur.

Leporem nondum perceptum nec sibi nec domino venatur vertagus acer, sed neque aspernatur: en indifferentia ob cogitationis defectum. Dum vero Leporem persequitur, equos, boves, capellas, arbores, fontes percipit, ad se tamen non refert, ut bonos, vel malos, indifferens est; quia hos ad se pertinere non cogitat. Quod si currens canis ad bivii caput pervenit, feram utrinque olfescit,

cit, cursum sistit paulisper, tum stat in æquilibrio.

§. 27. Unum adhuc superest, quod de facultatibus, quæ brutis atque hominibus communes sunt, addamus. Posse nimirum animalia habitas perceptiones, imaginationes, appetitus, & affectus diversis quibusdam sonis, signisque manifestare, ac propterea *Loquelam* iis merito vindicari. Proximum vero est, ut facultates strictim delibemus solius animæ humanæ proprias. Fluunt autem hæ ex animalis rationalis notione, ac earum ope objecta non modo ut sensibilia, verum etiam ut insensibilia nobis repræsentare, & appetere valemus. Hinc primæ illæ *inferiores* seu ignobiles; istæ vero *superiores* ac nobiliores salutantur.

Quæ anima hominis in specie, ejusque facultates.

Exempla loquelæ nobis offerunt canes venatici, cum perdices persequuntur; gallinæ domesticæ dum ova gignunt, pullos vocant, & dum dulce canit Philomela. V. G. A. BOUGEAUTE *Amusement philosophique sur le Langage des Betes*. Sed non enuntiant animantes nisi res singulares, individuas, & quæ cadunt sub sensus. Entia enim universalia v. c. *naturam, perfectionem* sibi repræsentandi non habent potestatem. Perquam idonee CICERO: *Sed inter hominem, & belluam hoc maxime interest, quod hæc tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque præsens est, se accomodat, paullulum admodum sentiens præteritum aut futurum. Off. l. 4.*

Cum (a)
in cognof-
cendo at-
tentio, re-
flexio, in-
telligen-
tia.

§. 28. Id nimirum homini tributum a
supremo DEO, ut non cogitare modo,
quod & bruta faciunt, fed etiam ATTEN-
DERE, feu cogitationes fuas ad unam rem
ita transferre, ut illam ab aliis abftrahat,
licet fimul perceptis; tum REFLECTERE,
hoc eft objecti, ad quod attendit, partes
membratim perluftrare, & considerare;
ac porro, quid fingulæ hæ partes separatæ
cum aliis entibus cõmmune habeant; IN-
TELLIGERE, vel, quod idem eft, diftinctas
rerum ideas & notiones univerfales confe-
qui poffit, quas humanæ mentis potestates
& exercitationes *attentionis*, *reflexionis*, &
intelligentiæ, feu intellectus in fpecie voca-
bulis designant.

Cum hominem abftrahimus, ut obvio uta-
mur exemplo, a plantis, brutis, ftatuis, &
lapidibus, ad eum *attendimus*; ubi vero fin-
gulas hominis partes investigamus, v. c. cor-
pus, animam, varios corporis motus, varias-
que potentias, *reflectimus*: tandem quando,
investigatione hac instituta, corpus, & ani-
mam, aliasque partes a fe invicem difcerni-
mus, contingit, ut per affociationem idea-
rum alia etiam corpora animata, & inanima-
ta, & alias animas brutorum, hominumque
nobis repræfentemus; quod fi notas iftas dif-
ferentiales corporis, id eft, an fit animatum,
vel inanimatum, & animæ, an fit bruti,
vel hominis abftrahimus; ideæ corporis, &
animæ nascuntur diftinctæ, & univerfales;
ficque *exercemus intellectum* in fpecie. Hac
enim voce alii totam facultatem cognofcendi
fu-

superiorem , alii v. c. Puffendorffius I. I. 3, Thomafius I. I. 7, Burlamaquius I. I. §. 6, & 8, etiam inferiorem denotant. Sed. v. WOLF. *Pfych. Emp.* §. 275.

§. 29. Præcipue autem in eo excellit animæ humanæ dignitas , quod **INGENIO**, **RATIONE**, atque **JUDICIO** instructa est. Quæ facultates, teste proprio cujusvis sensu , diversimode se se exserunt ; & prima quidem , universalibus rerum notionibus per intellectum formatis , similitudines earum observat ; altera nexum quoque seu dependentiam unius ab alia , causas , & consequentia perspicit ; tertia vero , quæ res alteri quasi subjecta sit , vel non sit , intelligit , atque ideas diversas inter se componit. Inde vero perspicuum est , hæc animi vires ad eum omnes scopum contendere , ut rerum inter se repugnantium sive **FALSITATEM**, & a repugnantia vacuitatem , uno verbo **VERITATEM** deprehendamus.

Deinde ingenium, ratio, atque judicium.

Equidem aliquando omnes mentis potestates appellantur uno *Ingenii* nomine , CICERO *Fin.* V. 13. Inprimis tamen Poetis tribuitur ingenium, VELL. PATERC. H. R. I. C. 5 & 7 ; nec non Histrionibus , atque Pictoribus propter acute jocoseque dicta , plautinos sales , tropos , colores , gestus , quibus rerum exprimunt similitudines. Quare SALLUSTIUS pro negotiis , quæ ingenio geruntur , memoriam rerum gestarum exigit , ut ad similitu-

di-

dinem majorum *Virtus accendatur. Jug. C. IV. PETRONIUS Cocum vocat ingeniosum, qui de bubula piscem, de lardo palumbum, de perna turturem facit, quod rerum similitudinem adsequitur. Satyr, c. 70. Rationis notio eadem est veteribus, uti probat locus CICE- RONIS: Homo, ait, quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusque presentibus adjungit, atque annexit futuras. Off. I. 4. Judicium quoque ab ingenio, & memoria distinxit PLINIUS Ep. VI. II.*

Quibus
evidentia
perfectio-
nem; opi-
nio, igno-
rantia, er-
ror im-
perfectio-
nem affe-
runt.

§. 30. Quicumque volet se ipsum, atque alios homines paulisper scrutari, non ibit inficias, se quidem aliquando, cur aliquid repugnantia vacuum sit, vel non sit, id est veritatum vel falsitatum rationem sufficientem ostendere posse, aliquando non posse. Prioris generis cognitio CERTA est; posterioris INCERTA. Præterea animadvertet; homines multos, sive ob naturalem *maturæ ætatis*, dein *sancæ mentis*, atque *institutionis defectum*, sive ob superveniens *somni, ebrietatis*, aliusve *morbi impedimentum*, sufficiente rationis usu destitui, omnes vero ob humanæ intelligentiæ circumscriptionem innumerarum rerum cognitione carere, & non paucas concipere ideas ab objecto discrepantes. Certa rei cognitio parit EVIDENTIAM, incerta OPINIONEM, absentia cognitionis dicitur IGNO-

RAN-

RANTIA, Ideæ vero dissimilitudo cum ob-
jecto ERROR. Hæc si cum supra traditis
conferantur, liquebit, evidentiam esse
mentis perfectionem; opinionem vero,
multoque magis ignorantiam & errorem
imperfectiones.

Nemo sanus est, & cogitans, cui certa ac
evidens non sit propria existentia. Contra
quæ de commercii modo inter animam &
corpus a Philosophis traduntur, aliud non
sunt quam *opiniones*. Quis vero res a nobis
ignoratas enarret! ut enim cætera prætermi-
tam omnia, quot sunt, qui corporeæ suæ
machinæ partes, & structuram intelligant?
Sed & *errores* in falsis perceptionibus & judi-
ciis oriri quotidie quamplurimos tota mundi
docet historia: quoniam, ut ait CICERO: *Cu-
jusvis hominis est errare*; addit tamen: *Nul-
lius nisi insipientis in errore perseverare. Phil.
XII. §. 2.*

§. 31. A superiore cognoscendi facultate
superior quoque appetendi facultas pen-
det: quippe quæ in eo sita est, ut homo
res intelligentiæ, rationis, atque judicii
usu, vel vere, vel etiam falso comprehen-
sas appetere valeat, aut averfari. Vocantur
hæ potentiaë VOLUNTAS *in specie*; & NO-
LUNTAS, Latinis *declinatio*; actus vero vo-
luntatis *volitio* est, & noluntatis *nolitio*, sive
appetitus, aut averfatio *rationalis*, latius
sumptus. Velle igitur & nolle, cum aliquo

Tum (b)
in appe-
tendo vo-
luntas, &
declina-
tio.

rationis usu ita conjunctum est, ut primum sine altero ne cogitari quidem possit.

Etiam ARISTOTELI voluntas est *μετὰ λόγου ὁρετικὴ*, *Conjunctus cum ratione appetitus*. I. *Rhet.* 10. Nimis arcte vero furebant Stoici voluntatis vocabulum, eam enim putabant *in solo esse sapiente*: CICERO *Tusc.* VI. 6. Sed ab iis recte recessit WOLFFIUS *Psych. Emp.* §. 886, & definit appetitum rationalem, *Inclinationem animæ ad objectum pro ratione boni, quod in eo inesse distincte cognoscimus, vel nobis cognoscere videmur.*

Hæc agere
nequeunt
sine mo-
mentis.

§. 32. Quemadmodum facultas appetendi generatim, nonnisi boni repræsentatione ad appetitum, & repræsentatione mali ad aduersationem determinatur (§. 21); ita & voluntas, quoad facultas est, nihil per essentiam suam habet, quam ut se inclinare in alterutram partem possit; aliquam igitur sufficientem rationem accedere oportet, quæ voluntatem ad volendum aut nolendum impellat. Hæcque ratio sufficiens volendi aut nolendi nominatur MOTIVUM, seu *momentum*. Ex quibus planum est, cur anima ad bonum & malum distincte quidem cognitum, sed quod sua nihil censet interesse, indifferens quiescat (§. 26), curque boni tantum convenientis judicium, volitionis, & judicium disconvenientis mali, nolitionis sint momenta (§. cit.).

Res

Res hæc tota illustrari potest, si animam *libræ*, dein *lanci dextræ* facultatem appetendi, *lanci sinistræ* facultatem averfandi, *ponderibus* vero impositis momenta comparemus, uti enim libra sine pondere quiescit indifferens, & si geminæ lancis pondera sint æqualia, anceps stat, & in æquilibrio; pondere autem uni lanci tantum, vel majore imposito, in eam, quæ præponderat, partem deprimitur; idem quoque in anima fieri observatur, quæ sine motivis, aut si motiva sint æqualia, nec velle potest, nec nolle. V. CICERO *Fin. V. 10. in fin. & Acad. Quest. IV. c. 12.* Positis vero motivis præponderantibus volitionem, aut nolitionem elicere, & si unum appetit, ejus contrarium averfari debet. Inde vero ulterius colligimus, quænam (a) sint volendi, & nolendi requisita, dein; (b) quare *velle*, & *non nolle*, atque adeo *nolle*, & *non velle*, distinguantur; v. *L. 1. § 3. D. Trib. Act.*; demum (c) a vero prorsus aberrare THOMASII opinionem docentis: *Intellectui quid bonum videri, quia id voluntas appetit; & sic volitionem cognitione boni esse priorem. Fund. I. c. 1. §. 46. seq.*

§. 33. Quoniam hominum sensus non modo, sed etiam ratiocinationes atque judicia erroribus sunt obnoxia (§. 30), sæpius bona vel mala nobis esse opinamur, quæ vere talia non sunt. Ita intelligimus tam bona, quam mala in VERA & OPINATA seu *apparentia*: momenta vero in *genuina*, quæ veritate, & *spuria*, quæ falsa opinione nituntur, recte distribui. Hinc bona

Quæ vera
sunt aut
opinata.

opinata ad vera mala , & mala opinata ad vera bona pertinere ; & porro malum a nobis nonnisi sub specie boni appeti , & bonum tantum sub specie mali declinari ; denique illas solummodo volitionum & nolitionum formas proprie rationales esse appellandas , quæ vero rectoque boni malique judicio congruunt.

Vere cecinit PERSIUS :

*Mille hominum species, & rerum discolor usus,
Velle suum cuique est , nec voto vivitur uno.
Satyr. V. v. 52. seq.*

Quot non sunt , qui de perfectione intellectus parum solliciti , & attentionem fugientes *Bonum otium conterunt socordia.* SALUST. *Cat. 4.* Quot non contra , qui cibo ac potui indulgentes immodico , integritatem perdunt valetudinis ? Anima igitur , ut advertit SIMPLICIUS *ad Epict. Ench. c. 34. p. 184 ,* *Suapte voluntate , alias verum bonum amplectitur , alias imaginarium :* quia nimirum bonum esse arbitratur. Unde illud : *Nemo gratis malus.*

Ambo vel
in se, vel
comparative tan-
tum.

§. 34. Ubi rei perfectio , vel imperfectio diversos habet gradus , ibi major quoque & minor tam boni , quam mali quantitas concipi potest ; fac autem minus bonum majoris esse impedimentum , tunc plus imperfectionis rei adferret , quam perfectionis : fieret igitur *comparative malum.* Fac contraria ratione minus malum , quod malum majus excludit , eritque illud *comparative bonum.* Qua de causa mirum non

non est, animam id, quod ut bonum minus cogitat, averfari tamquam comparative malum, & quod ei malum minus videtur, appetere utpote comparative bonum. Quod si bonum minus arripiat præ majori, aut malum minus præ majori declinet, motiva feftatur spuria, & bono malove impellitur pro parte opinato.

Ita bonæ sunt exercitationes, quibus diverfa corporis membra agilitatem confequuntur: at fiunt comparative mala, fi ingenii & rationis exercitationem impediunt. Nam *proprie bona dici non poffunt, quæ plus incommodi, quam commodi habent. L. 83. D. de V. S.* Contra mercium e navi projectio in mare mala est; fed fi navis aliter fervari nequeat, fit comparative bona; quo pertinent verba THOMASII *Fund. I, c. 1, §. 87: Bonum totius est verum bonum, bonum partis totum destruens est verum malum, seu bonum adparens.* Accedit CICERO de LL. III. c. 10: *Sed est iniqua in omni re accusanda prætermiffis bonis malorum enumeratio - - - Ego fateor in ifta potestate (Tribunatus) inefse quiddam mali, fed bonum, quod est quæfitum in ea, fine ifto malo non haberemus: & QUINTIL. VII. c. 4: In comparatione malorum boni locum obtinet levius.*

§. 35. Ufu perfæpe venit, ut, quod femel volumus, iterum velimus, necnon ut rei alicujus appetitum fenfitivum rationalis etiam appetitio febequatur, & porro hæc novum fumat incrementum: fed

Quando appetitiones pugnent inter fe.

sed fieri quoque solet, ut volitio una alteri volitioni sit contraria; & ut appetitio sensitiva, appetitioni rationali adversetur: igitur in superiore specie, quum plures appetitiones ad idem tendant obtinendum, si & cætera concurrant omnia, existet perfectio (§. 14); ast in specie posteriore, quoniam appetitiones ex eodem fundamento non possunt explicari, erumpit imperfectio. Idem ipsum de adversationibus sensitivis, & nolitionibus est dicendum.

Ponas me venæ sectionem, quam bonam ante judicaram, iterum adpetere, & volitiones consentient. Ponas porro vinum, olim meo gustui gratum, ad digestionem promovendam mihi rursus præscribi, & adpetitio naturalis crescet per sensitivam. Quod si, ut loquitur Phormio apud TERENCEM, *Nolo, volo: volo, nolo rursus, cedo sæpe, quod dictum, indictum est*, Phorm. Act. V. Sc. 6, v. 56, volitiones, & nolitiones, dissentiunt. Denique quando de se fatetur Medea,

- - - *Si possem, sanior essem,*

Sed trahit invitam nova vis, aliudque cupido.

Mens aliud suadet, video meliora, proboque;

Deteriora sequor - - OVID. Met. VII. 19:

Appetitus sensitivi & rationalis eleganter expressit pugnam. Vid. Div. PAULUS Rom. C. VII. v. 23. & C. VIII. Ceterum ex his nondum satis patet, quænam sit appetitus, ac averstationis perfectio. Id modo demonstrasse sufficiat, posita volitionum, aut nolitionum contrarietate, perfectionem exulare.

§. 36. Varias fieri hactenus vidimus in homine mutationes, quæ si in illo ipso rationem habent sufficientem, **ACTIONES**, si in alio **PERPESSIONES** appellantur. Item actiones aliæ *externæ* sunt, quæ a motu organorum corporis, aliæ *internæ*, quæ a sola vi animæ, aliæ *mixtæ*, quæ ab anima & corpore simul proveniunt. Quoniam igitur id homini **POSSIBILE** est generatim, quod nullam in eo ponit repugnantiam; & in specie physice possibile, quod viribus ejusdem haud repugnat, seu cujus existentiae præstandæ ejus vires sufficiunt; potentia vero agendi, quod physice possibile, *facultas agendi physica* vocatur; evidens est competere homini etiam, qua animali, physicam innumeras actiones agendi facultatem.

Definitur actio interna, externa, mixta, perpeffio, possibilitas, seu facultas agendi.

Cogitare, attendere, reflectere sunt actiones *internæ*; spiritum ducere, crescere, sudare, *externæ*; edere, bibere, ambulare, librum legere, *mixta*. Ast in forum rapi obtorto collo, gladio transigi, sunt *perpeffiones*. Et quoniam homo bonum verum sub specie mali sæpe averfatur, ac malum verum sub specie boni appetit, utique id ei est physice possibile. V. WOLF, *Th. N.* §, 952, seq.

§. 37. Ex *possibilis* definitione intelligimus, id esse **IMPOSSIBILE**, quod non caret repugnantia; & hinc physice seu naturaliter impossibile, quod viribus nostris

Nec non impossibile, necessarium, contingens.

repugnat, seu ad quod efficiendum vires nostræ non sufficiunt. Cujus contrarium est impossibile, sive quod non potest non esse, id NECESSARIUM nominatur; igitur oppositum τ_2 physice impossibilis est physice necessarium; quod vero nec impossibile est, nec necessarium, sed ita possibile, ut ejus contrarium quoque respectu virium nostrarum fieri possit, illud fortuitum ac in *potestate* nostra positum est, seu *subjective* CONTINGENS. Ex his patet necessarium unico tantum, contingens vero duplici modo posse determinari.

Cœlum digito tangere homini est physice impossibile; ast mori eidem physice necessarium. Regulas, quibus natura hominis accommodatur, addiscere non est physice impossibile; nec tamen physice necessarium; qui enim prælectionibus nostris intersunt, experiuntur, posse se huic studio vacare, aut non vacare. Id igitur in cujusvis potestate positum est, ac *subjective contingens*.

Necessitas
simplex,
& cum
adjun-
ctione,
interior,
ac exte-
rior.

§. 38. Utrumque tam impossibile, quam necessarium, vel *simpliciter* tale est, vel solum *hypothetice*, & *cum adjunctione*, si nimirum quid aliud adipisci, aut effugere velimus. Quæ simplex & absoluta est necessitas, iterum vel a propria nostra constitutione trahit originem, vel solum ab alia effectrice causa extra nos existente. Illa necessitas dicitur *interior*, hæc *exterior*,
si-

five coactio physica in specie. Itaque tam necessitas interior, quam coactio physica contingentiam subjectivam prorsus excludunt, quæ tamen contingentia de impossibilitate vel necessitate hypothetica negari nequit; nisi cum aliqua exceptione.

Necessitatem simplicem describit CICERO: *Cui nulla vi resisti potest, quæ neque mutari, neque leniri potest*: eamque paulo post sic declarat: *Homines mortales necesse est interire sine adjunctione; ut cibo utantur, non necesse est, nisi cum illa exceptione: extra quam si nolint fame perire: de Inv. II.* Quod si quis morbo correptus, quem apoplexiam vocant, humi cadat, necessitate interiori agit; si vero cadat ab altero percussus, necessitatem patitur exteriorem, seu coactionem physicam.

§. 39. Principium generatim definiunt esse id, quod rationem alterius in se continet (§. 1.), atque ita distribuunt, ut aliud faciant principium *possibilitatis*, aliud *existentiæ*, aliud *cognitionis*. Ex primo quare, & quomodo aliquid sit possibile, ex altero quare aliquid fiat, existatque, ex tertio denique, quare quid nobis ita notum sit, perspicitur. Huic divisioni duas adhuc adjiciunt, ut imprimis omne principium vel sit in eadem ipsa re, in qua illa reperitur, quæ ex principio pendet, *intrinsecum*, vel extra eam rem, *extrinsecum*. Dein vero principium existendi sit vel *efficiens*, vel *removens*; illud, quod rei ipsius

Principium
quotu-
plex fit.

ipsius est causa, eamque producit; hoc, quod solum tollit impedimentum.

Ita DEUS principium est mundi, tam possibilitatis, vel quod idem est, *effendi*, quam causa & principium syntheticum seu metaphisicum existentiae, sive realitatis, actualitatis, existendi, *fiendi*. Contra a contemplatione hujus universi Creator infinitus agnoscitur; est ergo mundus principium analyticum, vel logicum cognitionis DEI, sive *cognoscendi*. Canis porro est principium *intrinsecum* latratus. Sculptor principium *extrinsecum* statuæ. Tandem sol est principium *efficiens* lucis; qui vero valvas aperit obductas, principium *removens*. V. ARIST. *Met. IV. c. I.*

Gaudet
anima
spontaneitate.

§. 40. Facultas Entis per principium efficiens intrinsecum aliquid agendi sine externa quadam vi, est SPONTANEITAS in sensu lato: illa vero spontaneitas, quæ simul ad actiones physice & subjective contingentes, id est, tam ad unum possibile, quam ad alterum ejus contrarium competit, cum ad nullum eorum per essentiam determinatum est, spontaneitas in arctiore significatione, vel etiam NUDUM ARBITRIUM appellatur: quoniam igitur animam prima illa physica facultate agendi pollere ostendimus (§. 36), absurdum foret eidem latioris generis spontaneitatem dene-gare.

Amplio rem hancce spontaneitatis significationem amplexus est cum Aristotele CHR. WOLFFIUS, eamque rebus quoque inanimatis tribuit, *Psych. Emp.* §. 933. Sane ignis sponte moveri dicitur, & VIRGILIUS:

*Arboribus, ait, varia est natura creandis,
Namque aliæ nullis hominum cogentibus ipsæ
SPONTE sua veniunt. Georg. II. v. 10. seqq.*

Ideo ICTI fructus sponte natos ab illis distinguunt, qui adhibita coloni industria producuntur. HUBER. *ad Inst. II. tit. I. §. 46.*

§. 41. Verum & altera spontaneitatis specie, five arbitrio, cum primis in attentionis, & reflexionis usu animam gaudere, & sua quemvis docet experientia, & facili negotio demonstratur. Si enim attendere & reflectere, cum id agimus, nobis non esset physice & subjective contingens, sequeretur, ut non attendere & non reflectere sit physice impossibile; hinc ut attentionis actus vel necessitate interna per animæ essentiam, vel necessitate externa, seu coactione physica determinantur. Ast neutrum accidit: non necessitate intestina, siquidem hi actus, salva animæ essentia atque natura, augeri, minui, immo & prorsus non inesse possunt (§. 28): non coactione physica, quoniam in nobis ipsis fit attentionis & reflexionis exercitatio, & porro hæc in actionum genere continetur (§. 36). Quæcumque vero hominis mutatio, cujus ratio sufficiens est in coactione physica, nullam in nobis causam habet,

Et nudo
arbitrio.

bet, sed in externa tantum vi (§. 38), atque adeo non ad actiones, sed ad perfectiones pertinet.

Ex his adparet: (a) spontaneitatem nobis non actum designare, sed potentiam, qua & tunc præditi sumus, cum prorsus nihil ex arbitrio agimus. (b) Deinde non omnia, quæ ab homine sponte fiunt, fieri etiam arbitrarie. Ita homines æque ac plantæ crescunt sua sponte quidem, sed physice necessario; quoniam hæ mutationes absolute, & in se fortuitæ, subjective tamen, seu respectu virium agentis, & in iisdem circumstantiis contingentes dici nequeunt; contra sedemus, stamus, ambulamus, oculos claudimus, aperimus, sponte & fortuito, quoniam per corporis structuram utrumque fieri potest. Senserant hanc veritatem Epicurei, siquidem, ut Atomorum doctrinam cum animæ arbitrio conciliarent, ad seminum declinationem recurrerunt. Sic LUCRETIVS:

Sed ne mens ipsa necessum

*Intestinum habeat cunctis in rebus agendis,
Ei devincta quasi cogatur ferre, patique,
Id facit exiguum clinamen principiorum.*

De N. R. II. 289.

In actionibus intellectus & voluntatis.

§. 42. Quemadmodum sine attentione, ac reflexione neque intelligere, neque ratiocinari, neque judicare quisquam potest (§. 28), ita & intellectus, rationis, atque iudicii usus ad operationes voluntatis & noluntatis præsto esse debet (§. 31). Quoniam igitur anima interne necessitari, aut physice cogi nescia, sponte attendit

&

& reflectit (§. 41) ; consequens est , ut nec intellectus , ratio , & iudicium hinc , nec voluntas & declinatio interiori necessitati at coactioni physicæ subesse possint , sed omnes harum facultatum actiones ad spontaneitatem , atque arbitrium referendæ sint.

Nulla vi unquam efficies , ut quisquam Xantippen quamdam foedissimam appetat , vel viperam venenatam , & contra matrem sibi carissimam aversetur. Id confirmat WOLFFIUS *Psych. Emp.* §. 927 , exemplo Th. Campanellæ , qui per quadraginta horas in durissimam quæstionem datus , eo adigi non potuit , ut se perduellionis reum confiteretur. Quid , quod tot Martyrum millia omni potius tormentorum genere dilaniari voluerunt , quam Diis immolare ? Vere igitur SENECA :
Cogi qui potest , nescit mori.
Hercul. sur. v. 425.

§. 43. Id equidem fallere posset incautos , quod sæpe vel ob illatos corpori cruciatus , vel ob mali alterius imminentis trepidationem priori appetitui appetitus posterior refragetur. Verum inde non aliud evincitur , quam flexibilem esse , ac mutationi obnoxiam voluntatem , eamque malum minus in se odio habitum , ad efugienda tamen mala majora tamquam comparative bonum sponte sua amplecti ; quare appetitionem non coactio physica , sed ipsa voluntas producit, propter novum

Refellitur, quod
objici
posset.

mo-

momentum sibi suppeditatum a coactione *secundum quid*, seu cum adjunctione; quæ utique non tollit contingentiam (§. 34); quidquam enim semper est in pectore, quod contra pugnare atque obstare possit.

Fac adolescentem minis, atque verberibus compulsus thema aliquod memoriæ mandare; propterea coactionem physicam non patitur memoria, sed sua adhuc vi agit. Eadem est voluntatis ratio. Nec obstat vulgata regula *Coacta voluntas est etiam voluntas*, L. 21, §. 1. *D. quod Met. Caus.* Non enim ad coactionem physicam, sed ad coactionem secundum quid pertinet. Rem acute exponit EPICTETUS apud *Arian. I. 17*: *Qui mihi mortis metum objicit, cogit me, inquit? Profecto non id, quod objicitur, sed illud, quod præstare tibi videtur, aliquid istius modi committere, quam oppetere mortem. His igitur etiam tua te cogit opinio, hoc est, voluntas voluntatem.*

Gaudet &
libertate.

§. 44. Postquam in superioribus confectum est, hominem animal esse ratione præditum, & intelligentia (§. 28, 29) ad varias actiones sponte ac ex arbitrio edendas aptum (§. 40, 41), porro ita comparatum, ut nihil nisi sub specie boni, seu quod præ se fert perfectionem, & hinc placet, appetat, nihil nisi sub specie mali, seu quod præ se fert imperfectionem, adeoque displicet, aversetur (§. 42): dubium non est, quin homo,
quid-

quidquid agere , vel non agere sibi in iisdem circumstantiis contingens est , illud quoque in suspenso habere , tum ex omni parte prius perlustrare , ac quid cum eo connexum sit perspicere , deinde quod maxime placet velle , & quod maxime displicet nolle , consequenter unum alteri præferre , id est *eligere* , possit. Ast *facultas mentis proprium arbitrium ope rationis determinandi* , seu ex pluribus possibilibus , quæ sint ad eligendum propofita , sponte eligendi id , quod maxime placet , vocatur LIBERTAS , vel *liberum arbitrium* ; palam igitur est , libertatem esse humanæ menti attributam.

Consentit in definienda libertate D. THOMAS , qui *Part. I. Q. LXXXIII. Art. IV. Liberum arbitrium* , inquit , *nihil aliud est , quam vis electiva* ; & *I. 2 , Q. 17. Art. I. ad 2. Radix libertatis est voluntas , sed sicut causa est ratio. Tum Q. XXIV. de verit. Art. II : Totius libertatis radix est in ratione constituta. Nec aliter re ipsa WOLFFIUS Psysc. Emp. §. 941 , & LOKIUS de Intell. II. c. 21 , §. 8. Atque in eum sensum trahi potest definitio data a Cicerone , quod sit : Potestas vivendi , ut velis. Parad. V. 1. Sunt igitur duo requisita libertatis ; alterum : Arbitrium , cui inest spontaneitas late sumpta , & contingentia subjectiva ; alterum : Ratio , seu Intelligentia ; ut nimirum in potestate agentis positum sit , adhibito usu rationis se se ad agendum determinare. Attendamus ad illos , qui certum eli-*

eligunt vitæ genus , & ea requisita a se invicem distincta concurrere deprehendemus.

Quod ulterius declaratur.

§. 45. Nec adfertam modo hominis libertatem confringit ineluctabilis illa necessitas , qua tam intellectus res , ut se se exhibent , percipere (§. 17) , atque evidentiae assentire , quam voluntas in bonum inclinare , & malum respuere (§. 21) , simulque ab impressionibus pendere coguntur. Quod enim intellectum attinet , est adhuc in hominis potestate ad res evidentes longius attendere , reflectere , animum ab iisdem avertere , aliasque contemplari ; res vero obscuras , aut minus evidentes , penitus investigare , nova certæ cognitionis argumenta conquirere , aut totam illam considerationem in aliud tempus differre. Intuitu vero voluntatis , trahitur ea quidem ab bonum generatim , & a malo generatim declinat sine ullo arbitrio , bonis autem vel malis singularibus non aliter afficitur , quam ut de iisdem sensim , ac peculiariter *consultandi* , seu in id , quod melius , inquirendi , ac se interim cohibendi , salvam retineat facultatem ; qua in re nos unice hominis libertatem collocamus. Nec enim ad eam opus est perfectio , quod ajunt , æquilibrio.

Qui cum HOBBSIO *de Hom. c. XI.* THOMASIO *Fund. §. 66, 67, 118, 132,* & FLEISCHERO *Inst. I. N. C. II. N. 112,* libertatem

tem hominis negant, ii omne hujus nostræ disciplinæ fundamentum subruunt, convelluntque; sed irritum id agunt conatu: voluntatis enim, ad quæ ipsi provocant motiva, ex contingente necessarium haud efficiunt, quoniam nova motiva sibi repræsentandi potestas semper manet. Sic qui æstu sitique ardet ægrotus, etsi suavissimo alias potu percepto, ad eum sumendum statim incitetur; mala tamen postea inde secutura perpendere, porro ab illo abstinere, quin & ejus loco medicinam gustui ingratissimam ebibere potest. Fac vero momenta unum vel alterum eligendi esse aliquando æqualia, & adhuc ratio sufficiens, cur alterutrum præferatur, in ipsa vi libertatis continebitur. Cf. CICERO *de fato* c. XI.

§. 46. Viam nunc munivimus ad novas actionum divisiones: quum enim aliæ brutis communes sint, aliæ nobis propriæ, priores actiones ANIMALES sive *Hominis*, posteriores HUMANÆ per excellentiam nuncupantur. Actiones animales iterum aut *nude arbitrarias*, aut *necessarias*, sive *vitales*, *physicas*, *mere naturales*: Humanas vero, prout hæc vel intellectui, vel voluntati, vel libertati tribuuntur, jam *intellectuales*, jam *voluntarias*, jamque *liberas* appellent. Hisce adjungunt *mixtas*, quarum non quidem quoad esse, *materiale*, sed quoad existendi modum, *formale*, parens est libertas. Et ita comprehendi potest, quomodo actiones humanæ ab intellectu,

Inde novæ actionum divisiones, earumque principia deducuntur.

voluntate & libertate veluti a suis principiis ac fontibus promanent.

Inde autem consequitur : I. Ut actio humana, libera, ac voluntaria non sint vocabula prorsus synonyma, quamvis, cum in nostro significato semper hæ actiones inter se sint copulatæ, promiscue sumi possint. II. Ut si voluntatem strictè accipias cum Stocis, (§. 31. Sch.) omnes actiones voluntariæ sint quidem liberæ, ast non vicissim; puta cum quis per facultatem appetitivam inferiorem amplectitur, quod per superiorem appetere erat in ejus potestate positum, actio enim tunc esset libera, sed eo sensu involuntaria. V. BAUMG. Met. §. 721. III. Ut ad liberas actiones etiam pertineant illæ, quæ etsi tales non sint in se, sunt tamen in sua causa, veluti, cum somnians quid agis, quod ipse vigilans libere determinaveras. IV. Ut perperam THOMASIVS intellectum faciat potentiam mere passivam, & hinc eum neget esse actionis humanæ principium. Fund. I. C. II. §. 11. Rectius hanc in rem SIMPLICIVS ad Epiet. Ench. c. 1. pag. 8. Priusquam appetas rem desideratam, & amplectaris, aut rem declines, quæ est rei desideratæ contraria, vel averseris, animo propendeas, aut abhorreas oportet.

Quæ actio
lubens,
quæ invita
per
violenti-
am, aut
errorem.

§. 47. Si actio voluntaria ab ingenti motivorum exsuperantia proficiscitur, est etiam ULTRONEA, lubens, plane voluntaria; si vero modicum sit causæ impellentis superpondium, multaque & magna simul

ad-

adsint, quæ ad contrarium ejus, quod agitur, stimulare videantur, actio dicitur *INVITA*, vel *secundum quid coacta*, aut *mixta*. Coguntur autem actiones vel suamet agentis voluntate, vel ab alia externa causa, & jam blanditiis, jam minis extorquentur; quam ultimam formam actio *invita per violentiam secundum quid* enuntiat. Ab hac differt *invita per errorem* aut ignorantiam, quam quis nonnisi errans, aut rei alicujus ignarus suscepisset. Omnes autem hæ actiones quatenus per libertatem agentis poterant determinari, eatenus ad liberas spectant.

Mercator *lubens* revertitur in portum, at metu naufragii res suas jactat *invitus*: Sulla *invitus* traditur *accepisse beneficia*; SALLUST. *Jug.* c. 101. Lucretia vero stuprum passa est *invita* ob minas; LIVIUS I. 57. Qui venenum pro vino bibit, dein puer, furiosus, *inviti* sunt ob ignorantiam. *L. 5. D. Præd. Urb.* Atque hoc sensu CICERO, *Soli*, inquit, *sapienti hoc contingit, ut nihil faciat invitus, nihil coactus.* *Parad.* V. c. 2. Cf. *Ep. fam.* IV. 7. Utramque *inviti* significationem adhibuit ARISTOTELES *Nic.* III. 1. *Videntur*, ait, *invita ea esse, quæ aut vi, aut ignorantione efficiuntur.* Mirus est Doctorum dissensus in figenda harum vocum potestate: sic WOLFFIO, *Inst.* §. 4, actio *coacta* est mutatio per vim externam, in qua quis se habet per modum instrumenti: nos eam vocavimus *passionem*. Idem *voluntariam* nominat, quæ nobis *ultronea* est ac *lubens*; *invitam* vero

non facit nisi per vim ac metum ; quo in significato invitæ sunt quidem liberæ sed involuntariæ. Sed & THOMASIVS *Fund. I. II. 104, seqq.* atque HEINECCIUS I. §. 58, *seq.* *invitas* negant esse voluntarias, easque definiunt : *Quæ a mente se ipsam determinante non proveniunt*, atque iis opponunt *spontaneas*. Contra BURLAMAQUIUS, I. II. 12, *mixtam*, sive *coactam secundum quid*, & *invitam* dicit esse voluntariam, sed non liberam, ut alios multos prætereamus.

Datur libertas determinationis, executionis, contradictionis, datur & libera cessatio.

§. 48. Quicumque libere agit, is se ad agendum determinat, & determinationi convenienter operatur (§. 44). Habet igitur tam DETERMINATIONIS, quam EXECUTIONIS libertatem. Quum vero unum atque alterum prætermittere in eisdem positum simul esset potestate (§. 45), consequens est, ut & libertate gaudeat, quam vocant, CONTRADICTIONIS. Deinde ut possibiles quoque sint liberæ ab agendo CESSATIONES, seu actiones liberæ *privativæ, facta omissionis, non facta*, quibus actiones *positivæ, factum commissionis, facta simpliciter* opponuntur. Etsi aliquando sub facto simpliciter, etiam non factum continetur.

Qui ad prælectiones accedit, is primum ad id se determinat, dein actu exequitur & committendo agit. Cui vero ignis incumbit cura, si ad fornacem obdormiat, ille omitendo agit. V. L. 28. §. 9. D. ad L. Aq. Atque

que hæc cessatio inter actiones liberas privativas recensetur. Ceterum dantur quoque actiones positivæ non liberæ, v. c. circulatio sanguinis, uti & non liberæ cessationes; veluti si stomachus cibos non digerat ex structuræ internæ defectu. Sunt, qui & libertatem *Contrarietatis* requirunt, ut nimirum quis possit idem appetere, & averfari: sed ea semper non est necessaria, sæpissime absurda. Ita vir sapiens plura appetit, quæ potuisset etiam non appetere, aut ea non potuisset averfari.

§. 49. Quamquam præclaræ sint, quas hucusque tetigimus, hominum dotes; ita tamen nascimur omnes infirmi, atque imbecilles, ut sine aliorum hominum cura & auxilio paullo post vitam vix acceptam deponere, aut longius fors toleratam soli miserrime ducere cogeremur. Hinc infirtus cuique communitatis cum his, qui sui sunt generis, seu SOCIALITER vivendi appetitus, quem facultas SERMONIS, id est, *cogitata sua sonis articulatis aliisve signis clare & distincte manifestandi*, maxime adjuvat, ingenerata vero de gravibus præsertim aliorum malis commiseratio, variæque singulorum capacitates summopere confirmant. Itaque nemo est, nisi plane demens, qui hominem alicujus socialitatis colendæ gratia factum esse non agnoscat.

Hominis dotes inutiles sine aliorum auxilio & socialitate.

Veterum testimonia de natura hominis aliorum

rum hominum consortia appetente Grotius , Pufendorffius , horumque Commentatores larga manu collegerunt. Et quamvis HOBBE-SIUS , de Civ. I , §. 2 , *Hominem esse animal aptum natum ad societatem* falsum pronuntiet : sermo tamen eidem est de magnis Societatibus , de quibus jam non agimus. Ad-dit enim , in not. l. c. , *Infantes ad vivendum, adulti ad bene vivendum aliorum ope indigent : itaque homines alterum alterius congressum natura cogente appetere non nego.* De sermone verissime dixit CICERO : *Rerum Domina eloquendi vis primum efficit , ut ea , quæ ignora-mus , discere , & ea , quæ scimus , alios docere possimus. Deinde hac cohortamur , hac persua-demus , hac consolamur affictos , hæc a vita immani & fera segregavit.* N. D. II. 59.

Naturæ
definitio
ad homi-
nis corpus
atque ani-
mam pro-
prie ad-
plicatur.

§. 50. Et summatim quidem hæc erant de corpore animoque hominis dicenda , ut , quænam esset illius *Natura* , intelligi posset. Venit igitur hoc nomine aut sola *animalis rationalis notio* ; aut *essentia* ejusdem *existens* ; aut potissimum *vis corporis* per variam partium structuram determi-nata, & *vis animæ* res tam sensibiles, quam insensibiles sibi repræsentandi, ac sponte agendi, harmonice inter se unitæ, quæ quatenus etiam in brutis inveniuntur, *naturam animale*m, quatenus vero hominem a belluis differre faciunt, *naturam rationa-lem*, prima naturæ humanæ, communem humanitatem constituunt. Et cum *naturale* sit, quod rationem habet sufficientem in
rei

rei alicujus natura (§. 10), quid homini sit naturale, ex dictis facile colligitur.

Ita varii corporis motus, sensationes, imaginationes, fictiones, appetitus, aversationes, stimuli, arbitrium, homini, ut animali, naturales sunt: aut intelligere, ratiocinari, judicare, velle, nolle, libere agere, loqui, vivere socialiter, homini naturale est, ac proprium. Et utrumque quidem quoad facultatem absolute, quoad exercitium hypothetice. *Nostra omnis vis, ait SALUSTIUS, in animo & corpore sita est. Animi imperio, corporis servitio magis utimur. Alterum nobis cum Diis, alterum cum belluis commune est. Cat. 1.*

§. 51. Etsi autem eadem omnibus hominibus obtigerint facultates, varius tamen est in quovis subjecto illarum gradus, exercitatio, ac vigor, variaque inter se proportio, vel in cognoscendo, quæ **INGENIUM** est latius sumptum, vel in appetendo, quæ singulorum **INDOLES** dicitur. Pendet vero & ingenium, & indoles tam ab habitu agendi ex determinatione præterita acquisito, sive **CONSUETUDINE**, quam a dissimili partium corporis dispositione, necnon sanguinis & humorum mixtura, hoc est **TEMPERATURA**, quæ ipsa a seminis, ætatis, climatis, victus, valetudinis, institutionis, exemplorum, studiorumque varietate scaturit. Quum vero natura inde dicta sit, quod nasci aliquid faciat

Improprie vero ad ejus indolem, temperamentum, consuetudinem, & nativitatem extenditur.

ciat (§. I.), consuetudo autem & temperatura hominem ad actiones ejusdem generis edendas proclivem reddant, aperta est causa, ob quam passim pro consuetudine aut temperatura, immo & pro generatione, ac nativitate designanda, naturæ vocem usurpent.

Naturam pro ingenio, aut indole promiscue accipi passim videas. Eum sensum exprimunt illa SALLUSTII loca: *In magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit.* Catil. II. *Gallorum gens natura bellicosa.* Catil. XLI. *Cethegus vir natura ferox, & vehemens.* L. I. D. *ad Sct. Maced.* V. SENEC. *de tranquill. an.* Consuetudine vero alteram naturam effici, qua impulsus multa faciunt, vidit CICERO V. *Fin.* 25; & SALLUSTIUS *Jug.* 87, *Bene facere*, ait, *ex consuetudine in naturam vertit.* Temperamenta ad quadruplex genus *Cholericum, Melancholicum, Sanguineum, & Phlegmaticum* revocari solent. V. *Joh. Ep. II.* v. 16, ex quibus diversæ habilitates, & propensiones oriuntur etiam in integris nationibus, LIVIUS XLV. c. 23. Id movit CICERONEM, ut duabus quasi nos, diceret, *a natura indutos personis, quarum una est communis, ex eo quod omnes participes sumus rationis -- altera autem, quæ proprie singulis est tributa: & innummerabiles alias esse dissimilitudines naturæ.* *Off.* I. 30. Denique naturam pro nativitate dixit APOSTOLUS: *Eramus & nos natura filii iræ,* ad *Eph.* II.

§. 52. Magnum quidem est, uti affectuum, ita & temperaturæ ac consuetudinis robur, eoque minore utimur arbitrii & intelligentiæ gradu, quo diuturnior est habitus, ac quo pertinacior propensio. Nilominus id omnino tenendum, hujusmodi proclivitates non obstare, ne agens, cui involuntarius non obvenit furor aut dementia, sed salvus adhuc est aliquis rationis usus, sufficiente semper gaudeat libertate. Poterat is enim principiis resistere, dein melius expendere agendi momenta, & notiones rei confusas in distinctas commutare. Quid quod inclinationes bonæ ignavia & incuria sæpius abolentur, cur non & malas studio ac labore cohibere, atque extirpare licebit?

Sed posteriores hæ naturæ primam illam non tollunt.

Etiam Jcti Romani affectum v. c. *Calorem iracundiæ* judicium minuere *L. 48. D. de R. J.*, integram tamen relinquere libertatem agnoverant. *L. 16. §. 2. D. de pæn.* Propensiones temperamenti penitus non eradicantur, quoniam uti HORATIO visum est,

Naturam expelles furca, tamen usque recurret. I. Ep. 10. v. 24.

Contineri tamen possunt, ut *idem* fatetur:

Nemo, ait, tam ferus est, ut non mitescere possit,

Si modo cultura patientem præbeat aurem. I. Ep. 1. v. 39.

Hoc plurimi suo docuerunt exemplo, inter quos Stilpo apud CICERONEM: *Eum, enim, scribunt ebriosum & mulierosum fuisse: sed*

vitiosam naturam ab eo sic edomitam & compressam esse doctrina, ut nemo unquam violentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit. De Fat. V.

Et perpetram pro vera hominis natura usurpantur.

§. 53. Ambiguum esse naturæ vocabulum, atque adeo multiplicem ejus significationem in ea, quam tradere volumus, disciplina determinari debuisse, satis, ut arbitror, ostensum est. Sed & illud ex prioribus conficitur, immane quantum a scopo suo eos aberrasse Doctores, qui in hominis naturam inquisituri vel ingenitos tantum eidem stimulos considerarunt, prætermissa, quæ *prima naturæ* humanæ propria constituit, ratione, vel cum hac proclivitates aut ab educatione, aut corporis habitudine, aut continua ejusdem actus repetitione contractas commiscuerunt. Itaque mirum non est positis falsis fundamentis, falsas quoque conclusiones respondisse.

Hominis regulas ex ejusdem natura derivandas fere omnes quidem pronuntiant. Ast naturæ notionem adeo implicarunt interpretes, ut AUCTOR *Dubiorum Jur. Nat. C. II. §. 14*, nihil putet sibi obscurius, nihil difficilius esse, quam naturam definire. Cf. & CICERO *Inu. I. 24*. Et sane HOBBSIUS *de Civ. C. I. §. 4. seq.*, eumque imitatus PUFFENDORFIUS *de Off. H. & C. I. c. 3, §. 4, seqq.* cupiditatem in alios sæviendi, ac necessitatem maximas excitandi discordias, sive ob ingeniorum contentionem, sive ob ejusdem rei ap-

pe-

petitum, parataque nocendi media, perperam referunt ad hominis essentiam atque naturam, siquidem hujusmodi inclinationes ab extrinsecis tantum oriuntur causis (§. 51), atque ipse Hobbesius hominem *natura cogente* societatem appetere alibi docet (§. XLIX. *Sch.*). Puffendorfius vero eum ad alterius adjutorium idoneum esse & necessarium fatetur *l. c.* §. 3. Cur autem naturales vim repellendi stimulos ita contaminant? Cur corruptos multorum habitus communem faciunt naturam? Cur denique bonas omnium propensiones dissimulare affectant? Sint *quot capitum vivunt, totidem studiorum millia.* HORAT. II. Sat. I. v. 27. propterea discordias nasci haud necesse est, siquidem varii quoque in instrumento musico soni harmoniam efficiunt, tantumque abest, ut diversitas hæc sit damnosa, cum contra eximius sit ejus diversitatis usus. In pejus adhuc ruit THOMASIVS, quum ex variis hisce inclinationibus homines singulos *specie differre*, diversamque omnium esse naturam arguit, *Fund. l. c. 1. §. 117.* Bonum amplecti, a malo declinare cuique æqualiter ingeneratum (§. 32); quod si rei particularis appetitio vel fuga aliam hominis speciem faciat; atque naturam, nemo erit, qui sapius a se ipso non differat specie, & plurimas non habeat naturas; quoniam haud raro contingit, ut id, ad quod antea accessimus, postea aversemur.

§. 54. Quoniam STATUS est *Complexus determinationum*, seu prædicatorum, *quæ de re quadam ut existentes enuntiari possunt*,

Status
quid? Na-
turalis, vel
adventi-
tius.

hæ

hæ vero vel proveniunt a natura, vel ab alia quadam caussa, status quoque in NATURALEM, & ADVENTITIUM, naturalis porro in *absolutum*, & *hypotheticum*, deinde in *essentialem*, & *non essentialem*, seu *naturalem in specie* dispescitur (§. 10). Præterea quædam determinaciones sine relatione ad alia cognosci possunt, quædam non possunt, ex illis status *internus*, ex his status *externus* confurgit. Itaque quid corporis, animæ, ac hominis status, & quæ primæ ejus sint divisiones, haud difficulter elicitur.

Nihil est existens, quod aliquem non habeat *Status*, cui ideo opponitur *Interitus*. CIC. *Fin. III. 5.* Status WOLFFIO, *Inst. §. 8*, est *Coexistentia mutabilium cum iisdem fixis*; KOELLERO *Exerc. §. 882*, & HEINECCIO *I. I. 2*, *Limitationes rei ratione existentia determinate*; PUFFENDORFIO *de O. H. & C. L. II. C. I. §. 2*, *Conditio, in qua homines constituti intelliguntur ad certum genus actionum obeundum*; sed non sat late patent hæc definitiones, primæ enim duæ ad res tantum creatas, tertia vero ad solum hominem, ut libertate utentem, pertinent. Datas status divisiones hæc interim exempla declarent: hominem ratiocinari & videre posse id eidem naturale, utrumque mere tale, *originarium*, *innatum*, *primigenium*, quum nullum ad id factum requiratur; ast prius absolutum est & *essentialē*, posterius vero, ut nos quidem concipimus, *naturale in specie*, constat enim homo oculis licet effossis, non vero sublata

rationandi facultate. Ast ipsa ratiocinia indigent facto, sunt ergo naturalia hypothetica. Fac porro homini manus, pedesque amputari, id illi erit *adventitium, praternaturale, adscititium, superveniens*. Denique sanitas, memoria, sunt hominis determinationes *internæ*: divitiæ vero vel paupertas *externæ*.

§. 55. Sed illæ determinationes nobis potissimum considerandæ sunt, quæ ad hominum **MORES**, seu actiones liberas ad certum quemdam modum exactas, referuntur, **MORALES** propterea appellatæ; harum enim complexus constituit *statum* hominis *moralem*; in quo expendendo sequentes doctrinæ unice versantur. Debet autem hic status bifariam reputari, aut solum ut **ANTECEDENS**, sive in actu primo, quatenus homo est natura sua ad actiones liberas edendas habilis, aut vero ut **CONSEQUENS** simul & in actu secundo, cum nimirum ex actionibus liberis jam præteritis est ortus. Dein antecedens est etiam *perfectus*, si ætas sit matura atque sana mens, vel tantum *imperfectus*, quoties alterutrum subest impedimentum. Opponitur statui morali status *physicus*, seu *animalis*, ex determinationibus a libertate nullo modo pendentibus constans. Atque ex hoc fundamento *Homo moralis* definiri, & ab homine physico discerni potest.

Estque
hominis
physicus,
vel mo-
ralis.

In danda morum notione secuti sumus CERONEM, qui de *Off. II. 20*, in hominibus juvandis, aut mores spectari, aut fortunam; dein pro *Sull. c. 20*, quod quisque voluerit ex moribus ejus esse ponderandum, scribit: Vid. & *L. 43, §. 4, D. de Ædil. Edict.*; *L. 46, §. fin. D. de V. S.* Sed & vox moralis Ciceroni debetur; quum enim ea pars Philosophiæ, quæ pertinet ad mores, de moribus adpellari soleret; decere se, ait, augmentem linguam latinam nominare *moralem*, de *Fat. Init.* Matrem esse, vel feminam, puerum, vel adultum, status est *physicus*; aut morum doctrinæ potius operam dare, quam medicinæ, quum utrumque fieri possit, est status *moralis*. Igitur qui sine proprio facto rationis usu carent, veluti qui immaturæ sunt ætatis, non gaudent statu morali ex propriis actionibus *consequente*, sive in actu secundo, nec *antecedente perfecto*, gaudent tamen in actu primo, sive *antecedente imperfecto*. Quod si alicujus intellectus impedimento laborat adventitio (§. 30), status ejusdem moralis ex præcedentibus actionibus liberis est æstimandus (§. 46, Sch. 3). Ceterum etsi leges Romanæ usum rationis anno septimo adesse statuerent, *L. 14. D. de sponsal*; id tamen ob diversitatem educationis ac temperaturæ (§. 51) ex principiis universalibus nequit certo definiri; sed ut observat GROTIUS *J. B. & P. II. XI. §. 5, n. 2*, ex quotidianis actibus, aut etiam ex eo, quod communiter in quaque regione accidit, desumendum est. Ex his quoque entia moralia, de quibus Puffendorfius de *I. N. & G. L. I, c. 1*, obscure nimis disseruit, declaranda sunt.

CAPUT SECUNDUM

DE

OBLIGATIONE, LEGE, ET JURE GENERATIM
AC SINGILLATIM NATURALI.

- | | |
|--|--|
| <p>56. <i>Per examen animæ humanæ ad cognitionem aliorum Dei attributorum pervenitur.</i></p> <p>57. <i>Finis quid, & quotuplex; quid medium.</i></p> <p>58. <i>Quæcumque a Deo creata sunt, suos habent fines.</i></p> <p>59. <i>Qui omnes ad manifestandas Dei perfectiones referuntur.</i></p> <p>60. <i>Actio, quæ cum fine hoc consentit, bona; quæ ab eo dissentit, mala est.</i></p> <p>61. <i>Et quidem naturaliter, atque interne.</i></p> <p>62. <i>Et jam physice tantum, jam moraliter, jamque utroque modo.</i></p> <p>63. <i>Dantur actiones indifferentes spectata sola earum notione.</i></p> <p>64. <i>Non vero cum suis adjunctis consideratæ.</i></p> | <p>65. <i>Nisi quatenus æqualem habere videntur bonitatem.</i></p> <p>66. <i>Nec plus evincunt adversariorum argumenta.</i></p> <p>67. <i>Quid sit obligare in sensu grammatico.</i></p> <p>68. <i>Quid obligatio physica activa, & passiva, quid regula.</i></p> <p>69. <i>Quæ obligationis physica, & regulæ, legisque sit essentia.</i></p> <p>70. <i>Obligatio & Lex animalis definitur.</i></p> <p>71. <i>Tum obligatio & Lex moralis.</i></p> <p>72. <i>Quodnam hujus subjectum sit & objectum.</i></p> <p>73. <i>Cur promulgatio pertineat ad Legis moralis essentiam.</i></p> <p>74. <i>Quæ sint legis partes, quid præmium, & pœna.</i></p> |
|--|--|

75. *Consilium definitur, ejusque a lege differentia.*
76. *Primæ obligationis & legis divisiones.*
77. *Necnon robur, atque mensura.*
78. *De legibus permissivis.*
79. *Quid legum scopus.*
80. *Quando legi quis dicatur obtemperare.*
81. *Vel eam violare.*
82. *Actiones rectæ sunt, vel minus rectæ.*
83. *Licitæ, vel illicitæ, moraliter possibiles, vel impossibiles.*
84. *Variæ Juris acceptiones declarantur.*
85. *Quo sensu Juri respondeat obligatio.*
86. *Officii definitio, & divisio.*
87. *Quomodo ab obligatione & lege liberemur.*
88. *De legum collisione.*
89. *Obligatio & lex in divinam abit & humanam, in naturalem & positivam.*
90. *Argumenta ad probandam legis naturalis existentiam haud satis idonea.*
91. *Necessitas alicujus divinæ legis firmiter demonstratur.*
92. *Et quidem naturalis non modo mechanicæ & animalis.*
93. *Sed etiam moralis.*
94. *Cui maximum accedit robur a divinis attributis.*
95. *Dubia adversus datas obligationis & legis definitiones.*
96. *Resolvuntur.*
97. *Atque aliæ quædam difficultates refutantur.*

§. 56.

IS est, quem priore Capite consideravimus, animæ humanæ status, ut bruta quidem cæterasque res creatas omnes vi rationis tantum cognitæ perfectione sua antecellat; plurimum tamen a situ corporis atque organorum constitutione pendeat, mutabilis porro, finitus, atque contingens sit, ac consequenter ab Entis infiniti, necessarii, & independentis natura plane diversus. Contra quum Ens infinitum omnia actu possideat, quæ ipsi inesse possunt, id facile animo concipitur, DEO summam quoque mentem, distinctissimam rationem, & intelligentiam, voluntatem liberrimam, & perfectissimam, deinde *Omnipotentiam, Omniscientiam, omnimodam Bonitatem*, cunctas denique perfectiones esse tribuendas; quemadmodum Theologiæ naturalis Scriptores uberius demonstrant.

Per examen animæ humanæ ad cognitionem aliorum Dei attributorum pervenitur.

Stulta omnino est Stoicorum, & Pythagoreorum persuasio: animas humanas esse particulas ex divinitate decerptas, seu, ut ait CICERO, *Ex universa mente divina delibatas, de Senect. C. 21*; est enim DEUS Ens simplicissimum, & in partes resolvi nescium. Qui vero DEUM, seu primam rerum omnium causam existere fateretur quidem,

E

sed

sed mentem atque intelligentiam eidem denegaret ; non modo Entis infiniti tolleretur notionem , sed etiam ab inanima , cæca , nec cogitante natura , naturas intelligentes ac cogitantes procreatas esse statueret ; quod non minus repugnat , quam nihil rei alicujus esse efficientem causam. V. LOCK. *De intell.* L. IV. c. 10 , §. 10.

Finis quid
& quotu-
plex; quid
medium.

§. 57. Finis est id , *propter quod causa efficiens & intelligens aliquid agit , ut ipsum sit , vel fiat* ; quod vero rationem continet , cur finis actum consequatur , MEDIA dici solent. Quare , qui finem vult , is etiam media , sine quibus ad finem pervenire nequit , velle debet. Si fines ita inter se connectantur , ut unus alterius existentiam producat , finium adest ordo & series , sive subordinatio ; & tunc finis , qui primo attingitur REMOTUS , is , cujus assequendi causa cæteri omnes petiti sunt , ULTIMUS , sive *summus* , qui autem his interjectus est , INTERMEDIUS adpellatur. Idem igitur potest sub diverso respectu , & medii , & finis vicem obtinere.

Qui mola frumentum terit , pro fine farinam habet , sed hæc medium est coquendi panis , quo nos alimus ad vitam sustentandam ; itaque farina finis est *remotus* , panis , & alimentum fines *intermedii* , vitæ vero sustentatio finis *secundum quid* , seu in data serie , *ultimus* ; cujus respectu priores fines sunt *media*. Cum autem CICERO finem definit ,

nit, *Id, quo omnia, quæ recte fierent, referrentur, neque id ipsum usquam referretur.* *Fin. II. 2.*, loquitur de fine bono, atque in quavis serie, seu simpliciter ultimo.

§. 58. Quandoquidem Deus mundi de se fortuiti (§. 5) causa est summe intelligens atque liberrima (§. 56), fieri non poterat, ut hoc universum sine infiniti Entis voluntate ac intelligentia ad existendum perveniret. Ex quo consequitur, ut tam mundi, hominumque adeo existentia, quam illa omnia, quæ cum essentia & natura rerum sint connexa, hinc & usus facultatum animæ & organorum corporis inter fines ab Auctore naturæ spectatos pertineant. Et sane sapientia, hoc est, *Scientia eligendi mediæ ad finem bonum obtinendum*, quemadmodum Enti perfectissimo competit in gradu absolute summo, ita ab eximio totius orbis, immo & unius hominis partium, virium, structuræque ordine manifestissime colligitur. Ast ineffabili huic Sapientiæ utique repugnet, rem quamdam frustra facere, sive illam non ut aliquem vel remotissimum finem intueri.

Quæcumque a Deo creata sunt, suos habent fines.

Nemo non intelligit oculos ad videndum, aures ad audiendum, nares ad olfaciendum, linguam ad loquendum, pedes ad ambulandum fuisse factos. Soli Epicurei, ne Dei providentiam admittere cogerentur, id nega-

runt, quam in rem LUCRETIVS *Rer. nat.*
IV. 838, seqq.

omnia denique membra

*Ante fuere, ut opinor, eorum quam foret usus,
Haud igitur potuere utendi crescere causa.*

Enim vero, licet membra nobis prius data sint, quam illis uteremur; illa tamen ad usum a se præcognitum naturæ auctor destinavit. Non igitur, membris casu genitis, oblatus usus acceptus est. Finis in executione ultimus, primus in intentione semper manet. Perbelle CICERO: *Quis hunc hominem dixerit, qui cum tam certos cæli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa & apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque causa fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus.* N. D. II. 38.

Qui omnes
ad mani-
festandas
Dei per-
fectiones
referun-
tur.

§. 59. Quodsi in finem ultimum creationis hujus universi amplius inquiratur, omnes hoc concedant necesse est, illum in divinarum perfectionum manifestatione, ex qua gloria DEI arcessitur, esse positum. Præterquam quod enim mundus medium est, vi cujus existentia, æternitas, infinitio, aliæque perfectiones manifestantur (§. 2); ac proin DEUS unius existentiam decernens, alterius quoque existentiam non simul decernere non potuit; est etiam hic finis divinæ bonitati, ac sapientiæ convenientissimus, neque aliquis alius summo tanti operis artifice, sibi que sufficientissimo dignior excogitari ultra po-

potest. Nullus igitur invenietur finis intermedius, qui non ad hunc extremum scopum referatur.

Hunc ipsum, quem ex solius rationis fonte protulimus, mundi finem, Sacrarum quoque Literarum auctoritas condocet: *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, conspicuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas. Rom. I, 20. Et ibi: Universa propter semetipsum operatus est Dominus. Prov. XVI. 4.* Quid! quod naturae instinctus, quibus homines ad dilectionem sui, durationem ac curiositatem inclinantur (§. 22), non aliud quam Ens optimum, æternum, omniscium atque infinitum saturare potens est. *V. Psalm. XVI. 15.* Vere igitur hoc sensu scripsit CICERO: *In expletione naturæ summi boni finem consistere. Fin. V. 14,* quemadmodum id infra magis patebit.

§. 60. Nulla prorsus fingi actio potest, ex cujus notione vel simpliciter, vel cum loci, temporis, modique adjunctis considerata, non aliqua mutatio, & nova proinde cum in agentis, tum in mundi systemate determinatio, veluti effectus a causa, necessario consequatur (§. 36). Hujusmodi successio, effectus, seu consecutivum, aut cum natura & scopo hominis essentiali, & hinc cum sapientissimi naturæ Auctoris finibus consentit, aut non consentit: priore ratione hominis status efficitur perfectior, posteriore vero imperfectior

Actio, quæ cum sine hoc consentit, bona, quæ ab eo dissentit, mala est.

ctior (§. 14). Quum autem bonum dixerimus, quod cum perfectione connectitur; malum, quo posito, adest imperfectio (§. 15), consequens est, ut quæcumque ab homine suscipitur actio, omnisque ab hac pendens consecutio, vel bona sit, vel mala.

Huc facit metaphysicorum principium: *Nihil esse sine rationata*: nihil sine corollario, & auctoramento. Etsi enim excors multorum incogitantia, illas tantum consecutiones animo colligat, quæ in sensus fortiter incurunt; veluti ex digladiatione vulnus, morbos ex ebrietate & libidine, mortem ex veneno; attamen considerant acutiores, ex parvis quoque actionibus, v.c. ex confidentia sui insolentiam, ex insolentia arrogantiam, ex arrogantia odium, ex odio conatum nocendi, tum nocumentum ipsum, sæpe etiam bella cladesque evenire solere. Quemadmodum igitur in horologio, cujus perfectio est temporis spatia accurate dimetiri, etiam minimi motus elateris, rotularum, indicis, si ad communem hunc tendant scopum, boni sunt, ceteroquin mali; eodem modo levissimæ cujusvis mutationis, quam homo agendo producit, bonitas vel malitia in consensu vel non consensu cum illius fine reperitur. Præclare CICERO: *Ut in fidibus aut in tibiis, quamvis paululum discrepent, tamen hoc a sciente animadverti solet: sic nos, si acres ac diligentes iudices esse volumus, animadversoresque vitiorum, magna intelligimus sæpe ex parvis.* l. Off. 40, fin. & 41. Et sic portio habetur fundamentum, ob quod tam mundus, quam

quam homo, *Systema Entium* nominantur, seu *Unum*, quod pluribus *Entibus* ita inter se copulatis constituitur, ut eorum alterum alterius operationes determinare possit.

§. 61. Quoniam nec effectus ab actione, quæ illius est causa, nec bonitas vel malitia ab actionis effectu separari unquam possunt (§. 60); illa autem consecutio bonitas aut malitia *interna & naturalis* nuncupatur, quæ rationem sufficientem habet in ipsa actione, ac porro ex eius notis essentialibus, per quas nimirum tamquam talis actio concipitur, intelligi demonstrarique potest (§. 10); manifesto colligimus, aliquam actionum nostrarum bonitatem, vel malitiam ex simplici, vel hypothetica illarum consideratione fluentem cum ab iisdem inseparabilem, tum vero naturalem atque internam esse statuendam. Propterea tamen bonitas aut malitia, quæ occasione actionis ab arbitrio alicujus Entis Intelligentis provenit, *externa & præternaturalis* ideo dicta, haud excluditur.

Et quidem naturaliter atque interne.

Actio, qua quis rabidum lupum interficit ad sui defensionem, *interne, objective*, sive *in se bona* dicitur; est enim ipsa efficiens ratio effectuum, ob quos bona æstimatur. Quod si præterea præmium molestæ hujus feræ interfectori promissum ab universitate accedat, bona quoque erit *externæ*, sive *subjectivæ*. Contra, Tenebriones seu militiam

detrectantes, qui sibi pollicem præcidunt, *L. 4, §. 12. D. de Re. mil.* malum perpetiuntur ex ipsa actione ortum atque internum; cum vero hi lege Valentiniani flammis ultricibus concremantur, *L. 5, C. Th. de Tyron.* malum subeunt occasione actionis, adeoque externum. Itaque, qui actiones externe tantum bonas malasve esse contendunt; cur ii non negant aliquid in linea inesse, unde recta hæc sit, an curva discerni possit?

Et jam
physice
tantum,
jam moraliter,
jamque
utroque
modo.

§. 62. Duplex autem est actionis sive bonitas, sive malitia, quarum altera *physica*, quæ ex *materiali*, hoc est vi, motu, arbitrioque animalibus communi; altera *moralis*, quæ ex *eiusdem formali*, nimirum dependentia seu proventu a libertate, & MORALITAS generatim dici solet. Ac nulla quidem dubitatio est, quin homo, qui libertatis est particeps, & modo bona vera, modo tantum opinata sectatur (§. 33), actiones tam physice, quam moraliter bonas, malasque simul producendi habeat potestatem; quoniam tamen utraque hæc bonitas aut malitia non ita ad se invicem adfixæ sunt, ut una ab altera secludi nequeat (§. 55); fieri utique poterit, ut actio physice bona sit moraliter mala, & physice mala sit moraliter bona, & ideo, quæ ex materiali eveniunt consecutiones, ab iis, quæ ex formali sequuntur, sint diversæ.

Qui

Qui Jasonem interfecturus *gladio vomitam ejus aperuit, quam sanare medici non poterant*, CICERO, N. D. III. 28, bonum quidem fecit physicum; alit non bene egit moraliter; contra, cum *Herculi Dejanira tunicam sanguine centauri tinctam dedit* inscien-ter, *idem l. c.* aut, qui medicinam sumere volens, ab incuria pharmacopolæ deceptus bibit cicutam, actiones posuerunt moraliter bonas, & physice tantum malas. Etsi igitur aliqua bonitas vel malitia cum actione necessario sit connexa (§. 61), bonitas tamen vel malitia physica a morali sejungi sæpius possunt. Vidit id Cartaginensis Senatus, cum juberet, *In crucem tolli Imperatores, si prospero eventu, pravo consilio rem gessissent.* LIVIUS, *Lib. XXXVIII. C. 48.*

§. 63. Quæ sola bonitate, vel malitia morali inter se non differunt actiones, illæ moraliter indifferentes nuncupantur. Tunc porro deesse istud discrimen constat, si vel plane nulla, aut par omnino bonitas, vel malitia moralis de iisdem enuntiari possit. Itaque ob primam rationem competit ejusmodi adiaphoria non modo omnibus actionibus physicis, sed etiam illis liberarum actionum generibus æ formis, quarum nudæ notiones ita indefinitæ sunt, atque a loco, tempore, persona, aut modo abstractæ, ut ex iis solis nondum liceat intelligere & respondere, an ea, quæ producunt, consecutaria recedant ab agentis essentia, an vero naturali ejusdem scopo congruant.

Dantur actiones indifferentes spectata sola earum notione.

Igitur non modo infantum, furiosorum, eorumque omnium, qui carent libertate, sed & sani hominis deambulatio, scriptura, telijaculatio, actiones dicuntur moraliter indifferentes, quippe abstrahendo a reliquis circumstantiis nondum demonstrari potest, an bonæ sint vel malæ; neutram hanc indifferentiam respuit loquendi usus. V. D. THOMAS I. 2, 2. XVIII. Art. 9; LEHMAN. ad Puf. I. II. II. Quare nodum in scirpo quarunt TITIVS ad Puff. obs. 65; & BURLAMAQUIUS I. C. XI. §. 9, quibus actionis indifferentia *in abstracto* vana Scholasticorum subtilitas est visa ob illam rationem, quod actio ab omnibus adjunctis seclusa merum sit figmentum. Quasi vero id scholasticis venisset in mentem, ut actionem hujusmodi actu existentem affirmarent, ac non solum notionem sive conceptum, qui de actione formatur, intellexissent. Nullum sane datur animal, quod nec rationale sit, nec irrationale; nullus calculus, qui nec album colorem præ se ferat, nec nigrum; quid autem obstat, ne vel animal, vel calculus in genere, concipiatur. Ita & PAPINIANUS, *quid dicit venenum facere, adjicere debet, utrum malum, an bonum.* L. 236. D. de V. S.

Non vero cum suis adjunctis considerate.

§. 64. Actiones humanas singulares quod attinet, quæ scilicet loco, tempore, persona, & modo circumscriptæ sunt, *Facta* strictius dicta (§. 48), sunt quidem, qui existiment, in eis quoque formalem indifferentiam, qua nimirum nec moraliter bonæ sint nec malæ, sed utriusque qua-

qualitatis induendæ tantum capaces, reperiri, verum in media hi caligant luce. Quæcumque enim a libertate & ratione perfecta est actio, intrinsecam quamdam liberamque mutationem habet, ac bonam quidem, si fini creationis sic consentanea, si non sit, malam (§. 60). Igitur actionem humanam singularem formaliter indifferentem, quæ neque in bonis ponatur nec in contrariis, statuere, vel inter esse & non esse, medium quid relinquere (§. 15), æque est absurdum.

Ridet CICERO Epicureorum inscientiam differendi, quod aliquid *nec verum esse, nec falsum* docerent: *Quod enim, ait, verum non est, qui potest non falsum esse? Aut quod falsum non est, qui potest non verum esse? Qui actiones liberas singulares in concreto indifferentes, id est nec bonas, nec malas defendunt, differuntne acutius? an aliqua existere linea potest, quæ nec recta sit, nec curva? Pendet actio libera ab eo rationis ac intelligentiæ gradu, qui in nostra potestate est: huic si sit conformis, cur non erit moraliter bona, si difformis, cur non moraliter mala? Quare idem CICERO: Omnis, inquit, actio vacare debet temeritate, nec agere quidquam, cujus non possit causam probabilem reddere. Off. I. 29. Rem vere extra dubitationem ponunt illa Sacri Codicis loca: Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. MATH. XII. v. 36. Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud facitis, omnia in gloriam DEI facite. I. Cor. X. 31. §. 65.*

Nisi quatenus
æqualem
habere videntur
bonitatem,

§. 65. Altera hujus loci quæstio est de indifferentia, quam vocant objectiva, & quam dicebamus ab actionibus humanis bonitate inter se æqualibus derivari: utrum enim & ista esse possit, ambigitur. Sed affirmantium sententiæ facile subscribimus. Quandoquidem nullum adduci potest solidum fundamentum, cur plures ejusdem rei causæ, plurave media ad eundem finem obtinendum æque idonea, & hinc æque bona repugnarent. Immo ejusdem possibilitas innumeris fere exemplis comprobatur. Quod enim aiunt singularum rerum singulas esse proprietates, nec duo dari perfecte eadem; id magis non evincit, quam alios adhuc superesse characteres & notas, quibus duæ actiones bonitate sibi prorsus similes ab invicem tamen discernantur.

Ita plures sunt monetæ, quibus debitum expungi potest; plures vestes corpori detegendo; pluresve panes vitæ sustentandæ æque apti. Igitur ex his mediis eodem modo ad finem bonum tendentibus unum alterumve impendere, actio est moralis, non quidem formaliter, sed objective tantum indifferens. Quare APOSTOLUS: *Nemo, ait, vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi.* Col. II. 16. Ex hisce apparet Titii observationem 65, ad Puf. II. §. 11, in qua actio, quæ bonum finem habet, bona dicitur, sensu negante, seu indifferens, falsam esse (§. 15), atque in logomachiam abire. Quod verò actio.

actiones bonitate inter se haud æquales, si quidem differentiam agnoscere non sit in nostra potestate, spectent ad objective indifferentes, sequens §phus docebit.

§. 66. Hisce probe intellectis, omnia, quibus indifferentia actionum formalis fulciri solet, argumenta nullo negotio refelluntur. Sunt enim ejusmodi, ut illam tantum probent adiaphoriam, quæ vel ex nuda quarumdam actionum notione, vel ex factis inter se bonitate æqualibus, aut etiam mere physicis ducitur. Non igitur hic objiciat quisquam dari actiones liberas, quarum consecutaria prævideri ab agente tamquam Ente finito non possint; & illas porro esse formaliter, ut ajunt, atque in concreto indifferentes. Tantumdem enim libera est actio, quantum ab arbitrio & ratione agentis pendet (§. 44), quodsi bonum vel malum cum actione copulatum perspicere agens non possit, tum certe in ejus potestate non est positum, an utatur ratione; quippe quæ per facultatem rerum nexum perspicendi definitur (§. 39). Manet ergo, actionem hac ex parte liberam non esse, sed mere physicam.

Nec plus
evincunt
adver-
sarum ar-
gumenta.

Fac homini ex ignorantia insuperabili bibere cicutam pro medicina, libere quidem agit, quod bibit, & eatenus actio est moraliter bona (§. 62.), nemo autem dixerit libere illum bibere cicutam: hinc actio & solum phy-

physice mala (§. cit.). Nulla hic actionis indifferentia formalis in concreto, quam CANZIUS *Discipl. mor.* §. 62, invenisse sibi visus est. Quare & illa corrumpit opinio, quæ aliquas actiones liberas negat esse morales; V. ACHENW. *Obs.* I. N. I. §. 14. Neque hætenus traditis GROTII intercedit auctoritas, dum ait I. II. §. 1. n. 3; *Ab hoc esse ad non esse statim fit transitus, at inter alia adversa, ut album & nigrum, reperire est aliquid interpositum sive mixtum; quod fieri laudabiliter, & omitti, aut aliter fieri posse; patet enim eum loqui de indifferentia objectiva, sive de actione in se laudabili, quæ tamen omitti potest, si alia æque ad finem idonea sit præsto. Nec urgeas; tepidum medium esse inter frigidum & calidum, crepusculum inter lucem & tenebras: IDEM L. II. XXIII. §. 1, recte enim respondit PUFFENDORFIUS, medium illud esse participationis tantum, non vero affirmationis & negationis. de I. I. N. & G. I. C. II. §. 9. Sane bonum ex *non esse*, malum ex *non esse* cum agente consentiens duci, hæc duo vero non habere tertium supra vidimus (§. 15). Idem sensus CICERONIS *Fin.* III. 16. sqq. si jungatur cum *Off.* I. §. 29.*

Quid sit
obligare
sensu
grammati-
co.

§. 67. Ab actionum bonitate vel malitia obligationis & legis notiones ducuntur, de quibus jam dicemus. Ac OBLIGARE quidem proprie est corpus quoddam laqueis, funibus, catenis, aliisque ligamentis fortiter devincire, ita ut certæ cuidam rationi ac modo manere adfixum debeat. Qua in re quinquepartita statim sese offert
idea;

idea; primum enim concipitur vis, quæ obligat; deinde vis, quæ obligatur; mox vinculi sive nexus constrictio; tum quæ in hac constrictione inest, motus, situs ac posituræ ratio; postremo necessitas rei ligatæ imposita, quæ facit, ut ad illum modum ac metam non possit non hærere.

Hac significatione PLAUTUS *Obligare tabellas*; *Bach. IV. Sc. 4, v, 96. Crus & Brachium fractum, Menæch. V. Sc. 3, v, 9*; COLUMELLA *R. R. II. 2. Obligare Manipulos*; CICERO *Obligari vulnus, Tuscul. II. 16. & 17. & N. D. III. 57. dixerunt*. Igitur, cum os fractum obligatum est, Fascia est (a) *Vis ligans*, Os (c) *Vis ligata*, Actus, quo fascia ad membrum adstringitur (c) *Devinctio*; unde consequitur (d) *& Modus*, cui pars illa corporis suis demissa sedibus sese accomodare debet; & (e) *Necessitas* in acetabulo suo permanendi.

§. 68. Obligationis nomen a verbo *obligare* descendit, quod olim active tantum, postea etiam passive dici cœpit. Igitur in grammatica & propria significatione *obligatio activa* est actus, quo vis quædam corporea adstringitur & circumligatur; necessitas vero tali corpori imposita motus suos ad determinatum modum attemperandi, obligatio est *passiva*. Et quum *Id, secundum quod varia determinari, & modum æquabilem accipere debent, sive Representatio determinationis rationi conformis*, REGULA

Quid obligatio physica activa, & passiva: quid Regula.

di-

dicatur (§. 13) vel *Norma*, hæc autem regula & norma ut propositio cogitari possit, dubium non est, quin posita obligatione activa, ponatur etiam propositio, quæ hanc obligationem, sive, quod idem est, modum a corpore ligato tenendum enuntiat.

De physica in vincula conjunctione intelligi potest *Obligatio innocentum*, ad quam efficiendam, qui fraude societatem coierint, coerceri jubentur in L. 1, §. 1, D. ad L. *Coro. de fals.* juncta L. 1, §. f. D. de *Aleat.* Sed neque regulæ & normæ vocabula ab usu loquendi abludunt. Uti enim *Gnomon*, *Libella*, *Circinus*, ita *Regula* & *norma* geometris sunt instrumenta, quorum illud ad rectas lineas, hoc ad perpendiculara & angulos sive facile describendos, sive mensurandos inserviunt. Unde LUCRETIVS R. N. IV. v, 516.

Denique ut in fabrica, si parva est regula prima,

Et Libella aliqua, si ex parte claudicat hilum, Norma que si fallax rectis regionibus exit,

Omnia mendose fieri atque obstipa necessum est, &c.

Postea translatae sunt hæc voces ad id omne significandum, ad quod varia similiter referri, & inde modum accipere debent. V. CICER. *Qu. Ac. IV. C. 9, & 11*, Tales erant regulæ motuum in corpore (§. 13), sensationis (§. 17), phantasie (§. 18), appetitus (§. 21), quæ verborum formulis a nobis sunt expressæ.

§. 69. Quandoquidem in nexu ligamentorum cum corpore ligato essentia obligationis activæ physicæ, in repræsentatione autem determinationis rationi conformis, five in hujus vinculi enuntiatione essentia regulæ consistit (§. 67, & 68); palam est, ligamenta quidem obligationi activæ, atque hanc regulæ veluti principia & causas suis effectibus præire; adeoque nec sine ligamentis obligationem activam, nec sine obligatione activa regulam ab ea pendentem intelligi, atque definiri posse; ad hæc omnia tamen explicanda remotiores atque externas ligamentorum causas exprimere haud oportere. Quia vero illa regula & forma, quæ ad quascumque demum actiones pertinet, latissimo LEGIS vocabulo designatur; quidquid hic de regula generatim dictum est, ad regulam quoque in specie siue legem erit extendendum.

Quæ obligationis
physicæ,
& regulæ,
legisque sit
essentia:

Lex à græcō λεγω proprie est *verborum formula*, ERNEST. *Clav. Cic. voc. Lex*, cui quædam, veluti motus & actiones, attemperari debent. Quare Veteres *usi imagine & translatione Legem Regulam esse dixerant*, SENECA. IV. *Benef. 12.* Adeoque jam regulæ, jamque leges imaginationis, appetitus, lex carnis, lex spiritus, lex in membris, lex in mente; V. D. PAUL. *ad Roman. VII. 23*; tum leges mechanicæ, hydraulicæ, hydrostaticæ, leges numerandi dyadicæ, decadicæ, aliæque innumeræ in variis disciplinis

memorantur. Hoc sensu scriptum est *Proverb. VII. v. 28* : *Cum lege & gyro vallabat abyssos* ; & *v. 29* : *Cum legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*. Ita & LUCRETIVS se dicturum ait :

*Quo quæque creata
Fœdere sint, in eo quod sit durare necessum,
Nec validas avi valeant rescindere Leges.
De R. N. V. v. 58.*

Quis vero sibi serio persuaserit hasce obligationes, regulas & leges non posse aliter definiri, quam si extrinseca illarum causa in definitione ponatur ? Sane potuisset Alexander nodum, quem gladio solvit, concipere, etsi a Gordio factum esse ignorasset. Ceterum quum corporum Obligatio legem in se comprehendat, ejusque sit forma constitutiva, quemadmodum HORATIUS cecinit :

*Optat Prometheus Obligatus alicui ; - -
- - Sed vetant leges Jovis.*

Epodon. Ode 17, v. 67, & 69.

Lex porro non verbis tantum, sed etiam scripto exprimi possit, patet, cur legem alii a *ligando* D. THOMAS I. 2. Q. 90, alii uti CICERO de L. L. a *legendo* esse putarent.

Obligatio
& lex ani-
malis de-
finitur.

§. 70. Quamquam innumeræ animalium actiones arbitrariæ sunt & subjective contingentes (§. 41) ; ac porro nulla in illas cadit simplex necessitas, nulla obligatio physica ; quatenus tamen animal quædam agere vel non agere, ut quid aliud effugiat vel adipiscatur, potest, eatenus agendi, vel non agendi necessitatem hypotheticam experitur (§. 38) ; atque hæc

hæc hypothetica necessitas est, quæ per metaphoram *obligatio animalis* passiva dicitur. Quum autem præter boni ac mali repræsentationes, quæ appetendi, ac averfandi elateres sunt & stimuli (§. 21, 22), nullæ aliæ sint idoneæ caussæ ac vincula, quibus facultas appetitiva ad rem quampiam vel accipiendam, vel repudiandam impelli, adstringique possit, consequens est, ut *copulatio elaterum seu stimulorum cum actionibus arbitrariis obligationis animalis activæ*, quæ vero hanc obligationem exprimit propositio, *legis animalis* essentiam constituent.

Si baculum sumas canem verberaturus, illi fugæ necessitatem imponis repræsentatione mali; quod si carnis ostendas frustum, eundem in necessitatem adducis ad te accedendi repræsentatione boni. Idem accidit, quoties naturalis instinctus sensum internum, & hic boni, vel mali alicujus cogitationem excitat (§. 22), necessitate enim tunc premuntur bruta vitam corpusque tuendi, eaque omnia declinandi, quæ videntur nocitura. Hæc necessitas physica non est (§. 38); salvum enim manet brutis arbitrium (§. 41); igitur est hypothetica, & *animalis* recte nominatur. Omnis necessitas certam involvit regulam & legem, datur porro etiam *lex animalis*. Consentiant LUCRETIVS.

Sed ne forte putes animalia sola teneri

Legibus his . . . R. N. II. v. 717.

& MACROBIUS: *Natura*, ait, *animalibus perpetuam legem dedit, ut procreatione conti-*

*nuaretur successio. VII. Saturn. c. ult. Vid.
COCCEJI Diff. ad. Grot. IV. §. 42.*

Tum obli-
gatio & lex
moralis.

§. 71. Quoniam actiones arbitrariæ, siquidem a libertate simul pendent, liberæ sunt & morales (§. 55), etiam quæ in illas cadunt obligationis, legis, ac hypotheticæ necessitatis formæ, morales appellantur. Is igitur alterum moraliter obligat, qui consuetaria vere bona, aut vere mala cum actione libera connectit (§. 70), ac propterea efficit, ut eum nexum intelligere, atque judicare agens quæ talis possit (§. 70, 32). Quum vero hujusmodi iudicium dicatur motivum seu momentum (§. 32), dubitari amplius nequit, quin OBLIGATIO MORALIS ACTIVA sit *connexio veri boni aut veri mali, tamquam momenti, cum actione libera sive positiva, sive privativa*; LEX autem MORALIS sit *propositio moraliter obligatoria*, vel, quod idem est, *regula, cui actionem liberam attemperare quis obligatur*; & denique OBLIGATIO MORALIS PASSIVA sit *necessitas actiones liberas obligationi morali activæ legique conformandi*.

Etsi Wolfiana hæc obligationis moralis activæ definitio displicuerit non paucis; eadem tamen ex Cumberlandi & Puffendorffii, quos sequi malunt, principiis haud obscure eruitur. Hic enim in I. N. & G. L. I. C. I. §. 21, obligationem vocat, *per quam, quis aut præstare, aut admittere vel pati quid neces-*

cessitate morali tenetur. Dein vero L. I. C. VI. §. 5, verba Cumberlandi V. 27, sua faciens, *Nihil*, ait, *est quod necessitatem quidpiam agendi vel omittendi menti humane afferre queat, præter cogitationes boni & mali, ex iis, quæ facimus proventuri.* Evidens igitur est etiam ex horum sententia illum obligare moraliter, qui vere bona vel mala consuetaria cum actione libera connectit & manifestat simul. Considerat præterea PUFFENDORF. de OFF. HOM. & CIV. I, 2, §. 2, & 3, & JUR. N. & G. L. I. 21, & I. VI. §. 5, obligationem dupliciter, uti est in obligatione & in obligato, sive active & passive. Quæ distributio non diversas species logicas, sed varios obligationis solummodo respectus designat. Atque hanc ipsam obligationis activæ notionem eleganter expressit Scipio apud LIVIUM XXVI. 49: *Populus Rom.* ait, *qui magis beneficio, (repræsentatione boni) quam metu, (repræsentatione mali) obligare homines malit.* Sed & JCTI Romani *Obligationis substantiam in eo consistere dicunt, ut alium obstringat ad aliquid præstandum, L. 3. D. de Ob. & act.* Legem vero moralem ita describunt, ut a nobis non dissentiant, L. I, & 2. *Dig. de L. L.* Cum autem CICERO cum aliis plurimis legem vocat *Rationem, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria, de L. L. I. 2,* id clare indicat, ex actu illius facultatis, quæ rerum nexum, & hinc boni vel mali cum actione copulationem perspicit, actionum normam intelligi, ac porro ex obligatione activa legem promanare.

Quodnam
hujus sub-
jectum sit
& obje-
ctum.

§. 72. Ex eo, quod diximus obligatio-
nem & legem moralem constitui per
motiva, & unice versari circa *actiones li-
beras*, nihil difficultatis habet, ut perspi-
ciatur, *subjectum*, quod ita obligatur, in-
tellectus & voluntatis usu præditum esse
oportere (§. 44), *objectum* vero hujus-
modi obligationis & legis in illis tantum-
modo actionibus reperiri, quæ prorsus
fortuitæ sint; hinc tam a necessitate inte-
stina, quam a coactione physica immu-
nes; ac porro, quas ad actum deducere,
vel non deducere obligatus possit (§. cit.).
Et inde profluxerunt vulgatæ regulæ;
*Impossibile nulla obligatio est, ac quod nul-
lius esse potest, id ut alicujus fieret, nulla
obligatio valet efficere.* L. 185, & L. 182
de R. J.

Quemadmodum ergo bruta, infantes, men-
te capti, furiosi, dormientes, ac plene ebrii
qua tales, non possunt moraliter obligari
(§. 55); ita nec facta præterita, quæ in-
fecta fieri, aut a motivo pendere amplius
nequeunt; nec actiones simpliciter necessa-
riæ, veluti transpiratio, staturæ incremen-
tum; nec operationes intellectus, quatenus
logicis tantum, aut psychologicis regulis
diriguntur (§. 17, 18); nec nudæ perpe-
siones ad obligationis ac legis moralis obje-
ctum pertinent. Sæpe actio in uno statu,
aut certæ cuidam personæ possibilis est, quæ
alterius status aut personæ exsuperat vires;
illa igitur potest aliquando esse legis & obli-
ga-

gationis moralis objectum, aliquando non potest. Ceterum, quia, ut observat GROTIUS, *certissimum est nomen generis saepe speciei praesertim excellentiori adhærescere, de I. B. & P. I. I. §. 2. n. 3*; sic quoque obligationis legisque vocabula accipiuntur communiter in sensu morali, quem & nos posthac sequemur.

§. 73. Præterea, quum legem cuidam dicere nihil aliud sit, quam eundem ad aliquid faciendum, vel non faciendum obligare (§. 69), obligationis autem passivæ essentia non in sola boni vel mali connexionione cum actionibus consistat, sed actus simul accedere debeat, quo efficiatur, ut ea consuetudina ab agente cognosci, atque intelligi possint (§. 71), talis vero efficientia PROMULGATIO appelletur, evidens est ad legis essentiam, & non ad exteriores tantum ejus conditiones promulgationem pertinere, atque adeo rerum, quarum ignorantiam vincere non pendet a viribus agentis, earum obligationem & legem repugnare.

Cur promulgatio pertineat ad Legis moralis essentiam.

Ignorantia, quam pellere positum erat in agentis potestate, sive, ut ait PAULUS in L. 9, §. 2, *D. de I. & F. Ig.*, *ejus, qui eam rem diligenter inquirendo notam habere possit*, SUPERABILIS, secus INSUPERABILIS vocatur. Itaque non nisi posterior, seu insuperabilis obligationem, & legem excludit. Eoque sensu constituerunt Imperatores, ut

Le-

Leges intelligi ab omnibus debeant, L. 9. C. de L. L. Legis vero nomen ea haud merebatur, quam Caligula minutissimis scriptam litteris ex editissimo loco proposuit, ut ne cui legere liceret, DIO CASS. LIX. 28; quia tamen diversa est ingeniorum vis (§. 51), fieri etiam potest, ut ignorantia uni sit superabilis, alteri non sit. Et ideo Romani feminis, militibus, minoribus, rusticis leges ignorare sæpe permiserunt, L. 9. D. §. 1. de I. & F. Ignor.

Quæ sint
legis partes,
quid præmium
& pœna.

§. 74. Constat modo duas esse legis partes, quarum altera consecrarium determinat, tamquam motivum cum actione vel cessatione libera copulatum; altera quid vi hujus vinculi agendum vel omitendum sit, enuntiat: illa est legis *formale*, *obligatio*, *sanctio*; hæc legis *materiale*, *propositio*, *edictum*. Et quia consecraria tamquam motiva cum factis connexa, siquidem bona sunt PRÆMIA, si autem mala POENAE latissima significatione nominantur; facile patet pœnam quoque vel præmium partibus legis essentialibus esse adscribendum.

Pœnam definit GROTIUS de J. B. & P. II. XX. §. 1, eumque secuti PUFFENDORFIUS I. N. & G. I. VIII. c. IV. §. 3, & COCEJUS Diff. XII. §. 539, quod sit *Malum* (physicum) *passionis*, quod *infligitur ob malum* (morale) *actionis*; vix igitur ab illo dissentimus. Sunt tamen qui addunt, a *Superiore*; verum sic pœnam in specie non in genere

con-

consiste enim sequitur q. mater
similiter q. q. q. de em. g. ar.
q. q. d. u. ar. de g. ar.

considerant. Ostendemus enim alibi, & obligationem sine superiore concipi, & pœnam etiam ab æqualibus immiti posse: falluntur vero tam qui cum HEINECCIO I. N. & G. I. 9, aliquam obligationem sine præmio vel pœna; quam qui pœnas sine legibus dari posse fingunt. Etsi enim plures memorentur veteres leges, *in quibus nulla deviantibus pœna sancitur*, apud GROTIUM L. II. c. V. 16 *in not. (t)*, erant illæ tamen vel pœnis arbitrariis, vel adjecta clausula, *improbe factum*, munitæ, ut scilicet, *qui secus fecerit*, ea res eidem infamix esset; *Idque visum vinculum satis validum legis*, LIVIUS X. c. 9. Sed nec brutorum combustiones, *Levit. XX. 15*, nec hominum morbi, & quæ eos incommoda comitantur, veluti commercii, aut dignitatis interdictio, *Levit. XIII. & XV. Deuter. XIII. 1*, nisi ex lege atque actione morali ortum trahant, proprie pœnæ dici possunt. Vid. GROTIUS de J. B. & P. II. XX. 1.

§. 75. Significare alteri aliquid faciendi vel non faciendi rationes, quas cum actione jam antea copulatas esse judicemus, est eidem CONSILIUM dare, *persuadere, adhortari*; quum autem judicia nunc vera sint, nunc autem falsa (§. 30), etiam persuasiones ac consilia in bona vel mala recte dispescuntur. Nulla ergo in consiliis, persuasionibus, adhortationibusque inest per se obligandi vis, quippe quæ obligationum vincula veluti aliunde colligata solummodo explicant, sistuntque.

Consilium
definitur,
ejusque a
lege diffe-
rentia.

Per-

Persuadere esse ex verbis mediis observat & ULPIANUS in L. 1, §. 3, D. de Serv. cor.; Nam & bonum consilium quis dando potest suadere, & malum. Si bonum sit consilium, veluti medicorum, adest quidem necessitas id agendi, quod suadetur; ea tamen non ex consilio, sed ex obligatione ac lege præcedente orta est. Nemo enim, ut ait CAIUS, ex consilio (qua tali) obligatur, quia liberum est cuique apud se explanare, an expediat sibi consilium: L. 2. in fin. D. mand. Ita qui alteri argumenta suggerit, cur jurisprudentiæ potius det operam, quam medicinæ, consilium ei dat, sed nullam propterea id, quod consulitur, agendi necessitatem imponit. Quare qui cum THOMASIO *Consilium obligare*, Fund. I. IV. §. 59, & *Legem esse* I. V. 2. docent, confundunt res distinctissimas, atque a communi loquendi usu recedunt sine causa. Sed & consilii & legis differentia, quas HOBBSIUS, XIV. §. 1, & ex eo PUFENDORFIUS, O. M. I. IV. §. 1, dein THOMASIUS I. C. IV. §. 32, 35, c. V. §. 2, adducunt, ex hisce erunt judicandæ.

Primæ
obligatio-
nis & le-
gis divi-
siones.

§. 76. His expeditis facile erit de varietate, magnitudine, ac robore obligationis & legis æstimare. Diversa enim vel connexionis, vel motivorum, ac actionum liberarum genera, diversas quoque obligationum & legum formas efficiunt. Ac primo quidem obligatio & lex, qua quilibet homo tenetur, est *universalis*; qua certum personarum genus, *particularis*; qua unus tantum, *singularis*,
seu

seu *Privilegium*. Dein si bonum vel malum cum actione connexum per ipsam tantummodo actionem tribuitur, obligatio & *lex interior*; si alia simul causa ad id concurrere debeat, *exterior* nominatur. Denique illa obligatio, quæ ex præmiis oritur, *invitans*; quæ ex pœnis, *cogens*; rursus quæ ad aliquid agendum impellit, *affirmativa*; quæ ad omittendum, *negativa* audit. Et quoniam cuique obligationi non potest non sua respondere lex (§. 68), obligationem quoque invitantem *lex præmians*; cogentem, *lex puniens*; dein obligationem affirmativam, *lex imperans* sive præceptum; negativam, *lex prohibens* sive vetitum enuntiat.

Fuere, qui obligationem & legem proprie talem pœnis tantum muniri putarunt, veluti PUFFENDORFIUS, I. N. & G. I. II. §. 7; HEINECCIUS, *J. N. & G. I.* 9. Sed legem ii sumunt strictius. Contrarium vero discimus tum ex VLPIANI verbis: *Bonos non solum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes*, L. I. D. de *J. & J.*: cum maxime ex quarto Decalogi præcepto. Unde illis non refragamur, qui hominem *spe vel metu*, id est, repræsentatione boni vel mali futuri (§. 25), obligari tradunt. V. THOMASII *Fund. I.*, c. IV. §. 60, & TREVER. *ad. Puf. I.* II. §. 4; si modo rite explices, ut non solum boni vel mali expositio, sed ejusdem cum actione connexio simul intelligatur. Nunc quoque perspicimus rationem, cur legis virtus dicatur

tur a MODESTINO in L. 7. D. de L. I. immediata, *imperare, velare*; mediata, *punire*: addo, *præmium tribuere*, non autem *hortari, aut suadere* (§. 75), uti vult THOMASIVS *Fund. I. V. §. 4.* Quo fit, ut re ipsa unica sit legis virtus, nimirum *Obligationem imponere. An & permittere*, uti habetur in dicta lege septima? adparebit paulo post. *Cf. L. 2. D. de L. L.*

Necnon
robur at-
que men-
sura.

§. 77. Porro motivum cum eadem actione libera connexum vel ut unum & simplex, vel ut multiplex ac compositum considerari teste experientia potest. Compositum quod est, id unitatum earumdem multitudinem sive *quantitatem* complectitur, quæ prout nunc ad maximum, nunc ad minimum momentum accedit, ea quoque vel crescere, vel decreſcere, atque jam fortius, jam debilius agentem constringere debet. Inde non obscure liquet, cur etiam ejusdem actionis ponendæ vel fugiendæ obligatio & lex in *unam* vel *simplicem*, & *multiplicem* seu *compositam*, in qua scilicet plures simplices insint, postea in *majorem* & *minorem*, tum in *fortem* & *debilem*, distribuatur; curque obligationis legisque quantitas ac robur ex momenti cum actione quadam copulati magnitudine & viribus mensuranda sit.

Fingas assem nummum esse omnium minimum, legemque sanciri: *Quicumque in schola verba faciet, unius assis; qui in templo, duo-*

duodecim assium multa ei esto. Vides obligationem illam simplicem esse, hanc compositam; potest enim in duodenas partes resolvi, quæ singulæ obligationem & legem *partialem*, simul sumptæ *totalem* constituunt. Et quia assis hic pro unitate adsumitur ad exquirendam magnitudinem, seu quantitatem intensivam obligationis compositæ, *assis* ejusdem dicitur *Mensura*; inde enim cognoscitur, priorem obligationem a posteriore undecies quantitate & robore superari. Fac porro facultatem judicandi actionis confectarium in Titio decies esse majorem quam in Cajo: etiam Titii motivum (§. 31), & hinc obligatio decies erit validior. Cf. MATH. XXV. v. 14. Est itaque principium hoc fecundissimum, ex quo & mathematica fuit obligationis ac legis cognitio, & generalis PUFFENDORFII *de Off. I. I.* §. 14, & c. XVII. §. 13, aliorumque doctrina, quod obligatio affirmativa cedat negativæ, & obligatio invitans spe præmii cedat obligationi cogenti metu pœnæ, restringi debet.

§. 78. Quicumque actionem liberam facere vel non facere potest, quod illa nec præcepta sit, nec vetita, is agendi vel non agendi permissionem habet, atque eo nomine ab obligatione est immunis (§. 71); quippe quæ per nudum hujusmodi permillum excluditur. Ubi vero propositio, quæ permissionem alicui competentem, sive, quod idem est, obligationis & legis negationem declarat, necessitatem simul moralem continet, ne ei, cui per-

mit-

De legibus permissivis.

mittitur, ab aliis ponatur impedimentum, ibi permissio fit solummodo, per consequentiam prohibitoria Lex (§. 76). Illud tamen contingit sæpissime, ut leges, quæ finis cujusdam adeptionem præcipiunt, ex pluribus mediis in se æque bonis (§. 65), non unum simpliciter & determinate, sed aliquod indeterminate, & disjunctim præscribant, electione agentis relicta; & hac in specie leges præceptivæ vocari pro parte *permittentes possunt*, scilicet sub disjunctione.

Sic saltem sententias illorum, qui non ab invicem modo, sed a semetipsis discrepare visi sunt, conciliari posse puto. Negarunt GROTIUS I. I. 9, & PUFFENDORFIUS I. N. & G. I. VI. 15, permissionem esse actionem legis; sed tam ille de J. B. & P. I. I. 17, n. 2, & II. III. 15, quam hic I. VI. 15, & II. VII. §. 3, legem, quæ permissionem det agendi, statuerunt. Atque ipse CICERO *videndum*, ait, *utrum lex jubeat aliquid, ultra permittat. II. Invent. 49.* Quæ autem lex illa nisi ab obligatione disjunctiva veniens? Exemplo sit lex: *Nutrias te*: quæ quidem præceptiva est; quatenus vero cibi æque ad finem idonei electionem finit, eatenus etiam est permittens. Si enim nuda sit, ac sine omni obligatione permissio, nulla quoque aderit agendi regula & norma (§. 69), nulla sanctio (§. 74), & porro nulla lex; quoniam sine aliqua obligatione, sine sanctione, & sine regula, ut fatentur omnes, ea concipi non potest. Quid ergo urgent COCCE-
JUS

JUS *ad Grotium I. I. §. 9*, & BARBEYRACIUS *ad Grot. I. I. §. 9*, dein BURLAMAQUIUS *I. X. §. 5*, *seqq.*, leges, dum certum præscribunt modum, eorum quæ intra illum modum sint, tribuere permissionem, quæ porro legis sit effectus? Quasi vero ea permissio non maneret etiam lege sublata? Vel enim id permittitur, quod ante vetitum fuerat, & tunc non tam lex nova est, quam legis prioris extinctio; vel vero ad id, quod non erat vetitum, pertinet permissio, & hæc non jam legem, sed aliam habet efficientem causam. Igitur si quis nudum obligatione permissum legem permissivam vocandam esse adhuc contenderet, is abuteretur legis voce, & inanem committeret logomachiam.

§. 79. Quandoquidem per consecratoria Quis legum scopus. tamquam motiva cum actionibus nostris liberis connexa ad aliquid agendum, vel omittendum obligamur (§. 71), illæ autem actiones bonæ sunt, quæ bona habent consecratoria, atque agentem perficiunt, quæ vero consecratoria habent, mala atque agentem reddunt imperfectiorem, sunt malæ (§. 60): utique obligationis legisque omnis scopus est, voluntatem nostram repræsentatione boni ad appetendum, & repræsentatione mali ad averfandum excitare; ut scilicet bonum faciendo adipiscamur perfectionem, malum autem fugiendo imperfectionem evitemus. Quare illa scita, quæ mala jubent fieri, aut bona omitti, obligationis & legis nomen haud attingunt.

Vidimus bonum opinatum esse verum malum, & malum opinatum verum bonum (§. 33); dein bonum minus, quod est majoris impedimentum, esse comparative malum, malum minus vero, quod majus malum excludit, esse comparativum bonum (§. 34). Ergo illius capiendi, aut hujus vitandi obligatio vera non est, sed falsa, erronea ac spuria. Et ideo in definitione legis a GROTIUS datae, quod sit *Regula actuum moralium obligans*, supervacaneum fuit addere: *ad id quod rectum*: de *J. B. & P. I. l. §. 9*. Jussa enim, quæ aliquid minus rectum præscribunt, quidvis potius dici possunt quam leges: Nam neque, ut ait CICERO, *Medicorum præcepta dici vere possent, si quæ inscii imperitique pro salutaribus mortifera conscripserint*, de *L. L. II. 5*. Hæc perpendisse non videntur HOBBIUS de *Civ. I. 14*, & PUFFENDORFIUS *I. N. & G. I. VI. I*, quando consilium a lege ita discrepare scripserunt, ut illud in accipientis, hæc in dantis utilitatem tendat; siquidem lex ulla ab ejus, cui fertur, perfectione abstrahere potest.

Quando
legi quis
dicatur
obtempe-
rare.

§. 80. Qui ita agit, ut actionum suarum convenientiam cum legibus pro fine habeat, ei *legum Custodia*, atque obtemperatio tribuitur. Itaque non aliter quis obedire legibus potest, quam si ex parte intellectus *viva* præluceat illarum *cognitio*; hancque ex parte voluntatis *conatus* ad actum vel ponendum, vel reprimendum sufficiens, atque *efficax* (§. 79) consequatur. Tunc vero se se exerit hæc efficacitas,

tās, si legibus parere volens mediis utatur
possibilibus, & cum eo fine necessario
connexis (§. 57.), atque ob eam ipsam
causam superabilia removeat *impedimenta*;
& locum, tempus, cæterosque eventus,
sine quibus actio expediri nequit, verbo
Occasionem, quantum quidem in se est, non
amplectatur modo, sed etiam circumspiciat.

Sumamus exempli loco legem: *valetudinem
tuere*; cui certe non obtemperat, nisi qui
illam cognoscit, ac propterea occasionem
contrahendi morbos, quantum in se est,
evitat, removet impedimenta, nec non re-
media vel servandæ, vel recuperandæ sani-
tatis quærit, impenditque. Cum enim hæc
omnia sint inter se connexa, & data obliga-
tione ad unum ex connexis, eam ad alterum
simul dari necesse sit; dubium non est, quin
obligatione ad finem; obligatio quoque ad
media necessaria contineatur; ac prior qui-
dem obligatio dicitur *fundamentalis*: poste-
rior *minus fundamentalis*. Quod si quisquam
id facit, quod lege est præscriptum, sed sine
animo implendæ legis, hanc tantum servat
materialiter, eoque nomine actionem qui-
dem ponit physice bonam, verum legi non
censetur obedire. Nec ideo tamen nova in
singulis actibus ad legem attentio requiritur,
sed sufficit generalis, quæ scilicet in libero
agendi habitu posita est, sive, ut vocant, *Vir-
tualis & Interpretativa*, Cf. D. THOMAS. 2.
2. Q. 104. Art. 8. ad. 2. Ceterum evidens
est, eum, qui legi obtemperat, vel bonum

adipisci, vel malum effugere, vel efficere
utrumque simul (§. 74).

Vel eam
violare.

§. 81. Ex hisce intelligi par est, eum
moraliter violare legem, seu *peccare*, qui
actionem liberam opposita ratione deter-
minat, quam juxta legem sibi præscri-
ptam determinare erat obligatus, quum
nimirum aut id facit, quod vetitum, aut
quod præceptum est, omittit. Oritur ita-
que quævis legum violatio, aut a vinci-
bili earum ignorantia (§. 73, *Sch.*), aut a
voluntatis nisu, qui, quoniam ad agendum
inefficax est (§. 80), eo ipso in non obe-
diendo efficacitatem suam ponit. Atque
id primum contingit, quando remedia,
quæ ad legem implendam sunt necessaria,
& a libertate agentis pendent, aut non
adhibentur, aut vero adhibentur contraria;
deinde quando impedimenta vel adjiciun-
tur, vel pro viribus non removentur; de-
nique quando occasio vel omittitur osten-
tata, vel deficiens non inquiritur, vel pla-
ne investigatur adversa.

Non pigebit modo de veritate sequentium
conclusionum judicare. I. Si quisquam est,
qui invincibili legis ignorantia, vel volunta-
rio occasionis defectu laboret, is obligatus
non est (§. 72); ergo moraliter violare legem
non potest. II. Occasio, quæ ad legem vio-
landam inducit, sive periculum peccandi
omni studio fugiendum est, secus deest vo-
luntas efficax implendæ legis, & hoc ipso lex
pro

pro parte violatur (§. 80). Vid. MATH. V. 29. §. III. Quoties occurrunt circumstantiæ, in quibus medium contra finem pugnat, id medium esse desinit & fit impedimentum (§. 80), adeoque debet removeri. IV. Ad actionem omittendam nec particulare quoddam tempus, nec locus, & hinc nec occasio requiritur, quapropter *Lex affirmativa* obligare traditur *semper, sed non pro semper; negativa vero semper, & pro semper*; quod quem habeat modum, alibi exponemus. V. qui legem violat aut malum perpeti, aut bono carere, aut utramque positivam & privativam imperfectionem (§. 24) subire debet,

§. 82. *Conformitas actionum cum regulis* est illarum RECTITUDO, ac *moralis* quidem, si actiones sint hujusmodi, ut ad libertatem agentis referantur. Quamobrem actionem humanam, quæ legibus convenit, moraliter *rectam*, quæ iis disconvenit, *minus rectam* vocant, seu PECCATUM, Græci *avopιαν*. Ut igitur actio moralis fieri recta possit, tam intellectus, (§. 80, 28, 29), quam voluntatis (§. 80, 45), consentientem usum adesse oportet; at ut fiat minus recta, sufficit quicumque vincibilis alterutrius facultatis defectus.

Actiones
rectæ sunt,
vel minus
rectæ.

Quoniam lex, quod bonum est, præcipit, & quod est malum, vetat (§. 79); etiam actio moraliter bona dicitur, quæ legi convenit, mala, quæ eidem repugnat. Et porro actiones liberæ bonæ pro rectis, malæ pro

minus rectis promiscue usurpantur, sive dein legibus præceptæ sint, sive tantum non prohibitæ vel permissæ. Lucem quoque ex his capit vetus adagium; *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu*; „ Quem-
 „ admodum enim, ait BURLAMAQUIUS, il-
 „ la dicitur linea recta, cujus nullam pun-
 „ ctum a subjecta regula ne minimum qui-
 „ dem divergit, seu cujus partes similes to-
 „ ti; sic etiam strictè loquendo non potest
 „ actio bona esse vel recta, nisi omnino, &
 „ in singulis suis partibus cum lege consen-
 „ tiant, I. XI. §. 5. „ Eadem est sententia
 CICERONIS; *Quæ autem nos aut recta, aut*
recte facta dicamus, si placet, illa autem ap-
pellant κατὰ φύσιν, omnes numeros virtutis con-
tinent. Fin. III. 7.

Licitæ vel
 illicitæ,
 moraliter
 possibiles,
 vel impos-
 sibilis.

§. 83. Actiones rectæ, quatenus legi-
 bus moralibus non repugnant (§. 80),
 dicuntur quoque *moraliter possibiles* (§. 36),
 & *licitæ* latius; actiones autem minus re-
 ctæ, quia salva legum obedientia fieri ne-
 queunt (§. 81), *illicitæ* sunt, & *mora-*
liter impossibiles (§. 37), scilicet cum
 adjunctione; si agens bonum adipisci, aut
 malum effugere velit (§. 74, 38). Rur-
 sus actiones moraliter possibiles aut uno
 tantum, aut vero duplici modo determi-
 nari possunt; illæ sunt *moraliter necessariae*,
 seu debitæ, hæc *moraliter contingentes* (§.
 38), seu permissæ (§. 78), atque stri-
 ctiore sensu licitæ. Utraque hæc possibili-
 tas, si ad agentem referatur, *Facultas mo-*

ralis dicitur, a potentia seu facultate agendi physica (§. 37) probe sejungenda.

Hic quoque secum ipsa pugnat HOBBSII Philosophia. Qui enim *de Civ. Cap. I. §. 7*, per facultatem moralem significari dixerat *Libertatem potentiis naturalibus utendi secundum rectam rationem*; postea *C. I. §. 14*, illam eandem facultatem in *certa & irresistibili potentia* collocavit. Habet sane homo potentiam irresistibilem sese necandi fame vel veneno; sed fatente ipso Hobbesio moralem id agendi facultatem non habet, *dict. §. 7*. Sunt igitur hæ duæ facultates ab invicem plane diversæ. Nec, quod actio physice possibilis sit resistente nemine, sequitur, ut ea possibilis quoque sit moraliter. Bellissime PAPINIANUS: *Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dicam, contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum. L. 15. D. de Condit. Inst.* Ceterum quia, si aliquid necessarium est, ejus contrarium est impossibile, & vicissim (§. 37), facile patet, legem præceptivam unius esse prohibitionem alterius contrarii, & legem unius prohibitoriam esse alterius contrarii præceptum.

§. 84. Omne id, quod convenit, seu quod oportet facere, Græci *δεον*, & inde Latini jus dixere; quare hoc vocabulum nunc pro attributo actionis, sive pro eo, quod rectum est ac bonum (§. 60), nunc pro propositione, quæ, quod bonum est, enuntiat, sive pro lege ipsa (§. 47), nunc

Varie Juris acceptiones declarantur.

nunc demum pro qualitate personæ, hoc est, facultate morali, quod bonum est, agendi (§. 83), usurpant, quam postremam significationem ad vitandas ambiguitates & nos semper sequemur. Quum autem moralis hæc facultas vel in actionibus moraliter necessariis ponendis, atque in omittendis moraliter impossibilibus, vel vero in seligendis moraliter contingentibus versetur (§. 83), ideo Jus illud *Juris stricte talis*, hoc *Juris permissivi*, seu *Libertatis moralis* nomen obtinuit,

Jus alii a *Jove*, alii a *Juvanda*, parum apte, alii probabilius a *Jubendo* derivarunt; sed separat CICERO *Jura & Jussa populorum*, de *LL. I. 5*, nec jura permissiva stricte jussa sunt. Verissime igitur MENAGIUS: *Jus est a $\delta\iota\omega$: ut plus a $\pi\epsilon\delta\iota\omega$, & transit in \mathcal{J} consonans, ut in *Jana* a *Diana*, in *Jabulenus* a *Διαβουλος*, in *jaceo* a *δανω*. *Amœn. C. XXXIX*. Idem porro significat *Jus*, ac id quod convenit, seu quod oportet facere vel omittere, sive quod bonum est. Consentit IUSTUS PAULUS in *L. II. D. de \mathcal{J} . & \mathcal{J} . Id.*, ait, *quod semper æquum ac bonum est, jus dicitur.* Atque hoc sensu obligatio activa definitur in *princ. Instit. de oblig.* quod sit *Juris vinculum, quo necessitate (obligatione passiva) adstringimur alicujus rei præstandæ.* Grammaticam hanc juris significationem alix plures technicæ exceperunt, ut jam *objective* pro lege, jam *subjective* pro facultate morali, jamque pro loco judicii, *judicis sententia*, & sanguinis necessitudine diceretur. *V. L. II. sq. D. de**

de 7. & 7. Omnes tamen hæc significationes
ex prima illa emanarunt. V. BURLAMAQ.
I. IV. 10.

§. 85. Venit itaque *Jus stricte* tale ex præcepto vel vetito simplici ac determinato, *Libertas* autem *moralis* ex negatione legis, sive ex lege permissiva, quæ nimirum disjunctim, & sine plena determinatione perlata est (§. 78). Quoniam vero nulla Lex non aliquam obligationem effectricem atque opificem habet (§. 69, 78); haud falluntur ii, qui etiam Jus omne obligationi quodammodo *correlatum* esse arguunt; siquidem posita obligatione aliquid agendi vel non agendi determinata, ponitur quoque Jus stricte tale; contra ubi nulla, seu indeterminata tantum ac disjunctiva adest obligatio, ibi viget libertas *moralis*, & Jus permissivum (§. 84). Ex quibus illa maximi usus fuit conclusio; Juris cujusvis essentiam ex natura obligationis velut effectum ex causa esse æstimandam.

Quo sensu
Juri
respondeat
obligatio.

In proclivi nunc est sequentia intelligere enuntiata. I. Fieri non potest, ut aliquis agat, quod physice & in se est possibile, sine agendi potentia subjectiva; ergo nec ut agat, quod possibile est moraliter, sine morali facultate, sive jure subjective sumpto. Eadem est omissionis ratio. II. Agere vel non agere, est obligationis finis, facultas est medium ad id necessarium, data igitur obligatione ad ali-

aliquid præstandum, ad id quoque dari debet Jus (§. 80, *Sch.*). III. Quia Jus strictè tale determinatur ab obligatione, non autem Jus permissivum; prius ex obligatione nasci dicitur *effective*; posterius tantum *reductive*; illud Jus esse in *sensu agente*, hoc in *sensu negante* V. GROTIUS de j. B. & P. I. I. 3; THOMASIVS *Fund.* II. VII. §. 14. IV. Cum nemo obligetur ad id, quod vel physice (§. 72), vel moraliter (§. 83) est impossibile, ad hæc nullum competere potest Jus. V. L. 7. §. 3. & L. 223. D. de V. O. V. Denique, quo latius patet propositio disjunctiva in lege permittente, eo latior est libertas moralis.

Officii
definitio
& divisio.

§. 86. Quoniam facultas moralis (§. 83) Juris adpellatione continetur (§. 84), qui facultatem moralem in actum deducit, is dicitur Jure suo uti. *Usus Juris ab efficiendo* OFFICII nomen accepit, quod porro *actio legibus attemperata* vulgo definitur. Sunt autem pro Legum, & Jurium varietate, varia quoque officiorum genera. Quæ enim ex Jure strictè tali repetuntur, ea sunt RECTA, & quidem vel *affirmativa*, vel *negativa*; quæ vero ex jure fluunt permissivo, illa MEDIA nominatur. Quamobrem etiam Veteres recta in bonis, quæ primario sunt loco, seu in finibus ipsis, media in propositis, sive objective indifferentibus, non ita inepte collocarunt.

Equidem CICERO, qui Græcorum *καθεκον* primus *Officium* apellavit, ad *Attic.* XVI. II.
&

& 14. illud nec *in bonis*, quæ primum locum tenerent, nec *in contrariis*; sed id *adiaphoris*, quæ ad finem referrentur, posuerat *Fin. III. 16, seqq.* Attamen in tribus, quos ipse ad Stoicorum imitationem scripsit, libris de *Officiis*, ea sic distinxit: ut aliud *Rectum*, faceret a Græcis *κατόρθωμα*: aliud *Medium*, a Græcis *καθήκον* vocatum, cujus nimirum, *Cur factum sit, ratio probabilis reddi possit. Off. I. 3.* Huncque duplicem sensum etiam *Jcti Romani* retinuerunt, *V. L. 2. D. de Inoff. test., & L. 17, §. 3. D. Commod.* Hodie vero frequentior est prior significatio; sumiturque officium pro *Debito*, & pro *Obligatione* passiva. *V. KOELER Exerc. 7. N. §. 477.* Quid quod jam *SENECA* officium actioni licitæ in specie (§. 83), id est beneficio, opposuit *III. Benef. 8.* Capis modo cur duo dicantur *Facere idem* (physice) & *tamen non sit idem* (moraliter)? Quum scilicet unius est officium, & non alterius.

§. 87. Quamdiu eadem manet motivi cum actione quadam connexio, fieri non potest, ut vel minime mutetur illius faciendæ, vel omittendæ obligatio & lex; quatenus vero motivi cum futura actione nexus cessat, eatenus quoque obligationem & legem tolli, ac porro obligatum a morali hoc vinculo liberari, & lege solvi necesse est. *Liberatio* obligationis, & *Lege solutio*, quæ tam ad omnia obligationis & legis capita, quam ad universos & singulos obligatos extenditur, est *Abrogatio*; quæ aliquam tantum respicit *Legis partem*,

Quomodo
ab obliga-
tione &
lege libe-
remur.

tem, est *Derogatio*, tandem quæ ad peculiarem solummodo personam pertinet, latine *Lege solutio* in specie, vulgo *Dispensatio* adpellatur. Ex quibus perspicuum est, legem abrogare, ei derogare, illam solvere, seu dispensare eos tantum posse, qui motiva cum actionibus connexa separandi potestatem habent; contra, quando vel impossibilis est hæc separatio, vel plane non obligat lex, tunc abrogationem, derogationem, & dispensationem penitus excludi.

Derogatur legi, ait MODESTINUS, cum pars detrahitur; abrogatur, cum prorsus tollitur. L. 102. D. de V. S. Fit vero abrogatio vel sola permissione contrarii, vel per novam legem; qua in specie *Constitutiones tempore posteriores potiores sunt his, quæ ipsas præcesserunt.* L. Fin. D. de Const. Princ. Qui ex dispensatione agit, legem non violat, ea enim est solutus; quodsi, lege jam violata, poena transgressori remittatur, ei non datur dispensatio, sed *Gratia legis* fit. L. 1, §. fin. D. de Quæst. Illa indulgentiæ, hæc clementiæ tribuitur. Vid. GROTIUS de *Æquit. Indulg. & Facil. N. C. II. seq.* Quando a lege recedi potest sine periculo subeundi poenam, quæ cum transgressione, aut amittendi præmium, quod cum observatione legis erat conjunctum, plena habetur dispensatio; si poena quidem vitatur, sed præmii fit jactura, dispensatio est solum minus plena. Ceterum perperam quidam confundunt dispensationem cum privilegio (§. 76).

§. 88. Differt quævis legum mutatio ab *Exceptione*, quæ ex illarum pugna seu collisione oritur. Est enim COLLISIO seu Conflictus Legum, cum duæ leges nec mutatae nec alias contrariae, casu & eventu peculiari ita discrepant inter se, ut ambas conservare sit impossibile. Qua in specie *Exceptio*, sive *determinatio uni legi congrua*, alteri vero *incongruens propter collisionem* necessario admittenda est (§. 37). Atque idcirco leges oportet contendere, considerando utra alteram robore superet, deinde exceptionem sic instituire, ut lex fortior debiliori (§. 77), adeoque major perfectio minori (§. 79, *Sch.*) bonum totius bono partis (§. 34), finis medio, sive lex fundamentalis legi minus fundamentalis præferatur (§. 80).

De legum
collisione.

Quum quædam in se fieri possint, quæ sub certis circumstantiis repugnant, ineptum foret de collisionis possibilitate dubitare. Sumamus duas leges alibi demonstrandas: *Vitam serva, & hominem non occides*: istæ quidem in se non sunt contrariae, eo tamen eventu, quo quis vel occidere aggressorem, vel ipse alias perire debet, impossibilis est utriusque legis custodia, nec porro ad utramque obligatio dari potest (§. 72), sed alterutram prætermittere necesse est. Videndum tamen ad utram potius legem accedere oporteat. *Ea vero*, inquit præclare CICERO, *maxime conservanda putetur, quæ ad maximas res pertinere videatur*, *Invent. II. 49.* Quam enuntiationem WOLFFIUS *Inst. §. 48, 63,*

&

§ 64, *Legem vocat perfectivam*, uberius suo loco explanandam. Ex hisce colligimus I. in collisione salvam manere utramque legem, & unam cedere solummodo ob circumstantias. II. Nullam dari collisionem, si una tamen adsit lex, aut utraque possit observari. III. Actionem in collisione patratam invitam magis esse quam lubentem (§. 47). IV. Legibus directe & generatim inter se pugnantibus, & non solum casu & eventu, non esse collisionem, sed *ἀντινομίαν*, QUINTIL., V. II. 7.

Obligatio
& lex in
divinam
abit &
huma-
nam, in
naturalem
& positi-
viam.

§. 89. Consideravimus obligationem & legem generatim; nunc de præcipuis, quæ ei generi subsunt, partibus videamus. Petuntur autem tam a *subiecto* obligante, hoc est *Legislatore*, quam ab *objecto*, in quo obligatio & lex versatur, varioque promulgandi modo. Quum enim obligare is possit, qui motiva cum actione connectendi potestatem habet (§. 71), sequitur, ut si hæc connexio existat a DEO, obligatio & lex *divina*, si ab homine, *humana* nuncupetur. Deinde illa connexio vel ex ipsa rerum essentia atque natura intelligitur solius rationis ope, vel vero in arbitrio simul entis cujusdam rationalis, atque extra rerum essentiam posita est; prior obligationem & legem *naturalem*, posterior adventitiam seu *positivam* constituit. Quia vero naturæ omnis tam possibilitas, quam existentia in DEO rationem habet (§. 2, & 8), nulla exco-
gi-

Arbitrio de divina causa
grada accou

gitari potest obligatio & lex naturalis, quæ non fit divina; contra obligatio & lex positiva vel ad divinam, vel ad humanam pertinet.

Dividitur a non paucis obligatio & lex in *naturalem & positivam*; positiva in *divinam & humanam*. Sed cum illi legem naturalem esse etiam divinam, & a lege positiva seu revelata diversam fateantur; logices regulam, quæ vult, ut *Membra dividenda sibi repugnent*, neglexisse visi sunt. Obligatio & lex naturalis dicitur etiam *interior*, positiva *exterior*, quamquam & naturalem, prout pœnam vel præmium, quæ natura constituit, eadem simul executioni mandat, vel vero alia ad id indiget exequente causa; in *interiorem stricte* talem, & *exteriorem* rursus abire, infra docebimus. Nemo jam negaverit hæc confectaria. I. Dantur pœnæ, & præmia divina & humana, naturalia, & positiva (§. 89, 74). II. Obligatio naturalis in absolutam seu connatam, & hypotheticam seu adquisitam recte dispescitur (§. 10, 45). III. Si obligatio positiva ad naturalem accedit; obligatio fit *composita*, qualificata, seu mixta, nimirum quoad *materiale* naturalis, & quoad *formalis* partem positiva. IV. Quoniam DEUS omnia perfectissimo modo determinat; obligatio divina semper recta est, humana vero (falluntur enim non raro homines) aliquando minus recta, & externa tantum sine interna esse potest. Atque hanc PUFFENDORFIUS vocavit coactionem moralem externam, de *J. N. & G. L. I. C. VI. §. 5, & §. 10*; quorsum spectat locus CICE-
RONIS: *Si omnes Athenienses delectarentur ty-*
ran-

rannicis legibus, num idcirco hæ leges justæ haberentur? de LL. I. 15. V. WOLF. Phs Pract. §. 119.

Argumen-
ta ad pro-
bandam
legis na-
turalis ex-
istentiam
haud satis
idonea:

§. 90. Sed frustra de obligatione & lege naturali futura est institutio, si ipsa obligatio & lex nulla est; oportet igitur utriusque existentiam demonstrare. Cum vero id alii alia adgrediantur via, nos de promptis ex omni copia certissimis argumentis, eadem ab incertis atque exilibus sejungemus. Ita sufficientem vim non habet communis omnium populorum persuasio, siquidem altior quærenda est hujus persuasionis causa, quam qui ab ideis in mente nostra cœlitus inscriptis repetunt, & id sumunt, quod probare deberent, & ideas hæc esse obligatorias, propterea haud evincunt. Qui vero ab ingeniorum varietate hominumque proclivitate nocendi atque potentia ad quamdam existentem normam concludunt, præterquam quod nondum doceant normam illam debere esse naturalem, positiva enim esse posset, spuriis etiam utuntur principiis (§. 53), iisque quibus increduli legum naturalium negationem suffulciunt.

Consensus gentium, nec cuiquam satis notus est, nec ita in bono perpetuus & communis, ut non sæpius maxima hominum pars consenserit in res turpissimas. Sed etsi cuique cognitus, atque universalis esset is consensus, superest tamen, ut examinetur, quo-

quodam ex principio homines ita debeant consentire. Ideas legum innatas jam satis profligavit LOKIUS *de intell.* I. c. 3, quod si vero illæ disputationis gratia concedantur, nondum probata est naturalis earum obligandi vis. Proclivitatem nocendi & potentiam atque ingeniorum varietatem maxime urget HOBBSIUS, & voluntatem *lædendi omnibus inesse in statu naturæ* tradit, *de Civ.* I. §. 4; sed iis usus est argumentis, ut legem naturalem verbis statueret, re autem negaret. Quare non debuissent PUFFENDORF. *de OFF.* I. C. III. §. 4, *sq.*, ejusque adseclæ leges naturæ, quas serio admiserunt, tam erroneis principiis stabilire. Si enim nocendi natura homini a DEO tributa est, tunc vivit illi convenienter, quando nocet; uti cum agnum lupus, vel milvius columbam vorant. Inde porro sequeretur, ut vere scripserint HORATIUS: *Jura inventa metu injusti fateare necesse est.* I. Sat. III. v. 112; & SPINOSA: *Nihil, quod possunt homines vi, non jure agere.* *Politic.* II. §. 4, *sq.*

§. 91. Quod si nobiscum in animo reputamus esse DEUM, qui Conditor est totius universi liberrimus, ac sapientissimus Conservator (§. 6, & 56), qui uti in rebus creatis omnibus, sic in usu facultatum animæ sapientissimum sibi proposuit finem (§. 59), qui denique hominem rationis ac libertatis participem (§. 29, 44), ac porro obligationi & legi morali accipiendæ idoneum (§. 72) produxit; tum profecto, intelligimus, naturæ Auctorem

Necessitas
alicujus
divinæ
legis fir-
mius de-
monstra-
tur.

non

non modo plenissima legum ferendarum capacitate, summoque de hominibus disponendi Jure gaudere, sed etiam quasdam re ipsa leges sanxisse. Non enim aliter fieri poterat, quam ut actiones hominum liberis huic fini, veluti regulæ (§. 68) convenienter determinari vellet (§. 58). Ex quo, quamquam obligationis & legis naturalis existentia nondum satis patet, interim tamen sufficit, existentiam & necessitatem alicujus divinæ regulæ in actionibus nostris liberis deprehendisse.

Recte observat AUCTOR *Dubiorum Jur. Nat.* non procedere illud argumentum: *Deus potest leges ferre, ergo tulit etiam leges*: C. I. §. 3; sed probandum adhuc: *DEUM non potuisse hominem creare sine legibus; vel cum posset, noluisse tamen eum ex legem facere*: l. c. §. 5. Hoc autem nos inde demonstravimus, quia (α) frustranea foret illa hominum leges recipiendiabilitas, nisi id intendisset DEUS, ut quibusdam legibus homines parerent, quæ hoc ipso ad DEI voluntatem referendæ sint. Quia (β) aliquem creationis finem DEUS ac suæ quidem gloriæ illustrationem sibi præfigere debuit (§. 59); nec porro velle potuit, ut actiones nostræ liberæ tamquam medium in communi hoc rerum omnium scopo non consentirent. Quia (γ) denique totius universi Arbiter ac Moderator est DEUS, neque huic gubernationi juriq; suo in creaturas renuntiare unquam potest. Postremo hoc argumento utitur & CICERO leges naturæ probaturus: *Dasne, inquit,*
Pom.

Pomponi de Deorum immortalium potestate naturam omnem regi. I. de LL. 7. Verum instat laudatus dubiorum Auctor: Id solum sequitur: ergo tulit quasdam leges. Hoc vero probandum restat, Eum tulisse quasdam natura proditas. I. c. §. 6. Id vero jam agemus.

§. 92. Hasce autem obligationes & leges esse naturales, inde evinci satis posse videbatur non paucis, quod in mundo physico veluti cælo, terra, sole, luna, mari, fontibus, plantisque motus semper fiant finiti atque æquabiles, omniaque raris ordinibus & regulis moderentur, idque ex ipsa earum rerum natura explicemus; itaque existimari non possit, solum mundum moralem casui esse permissum, nullaque certa naturali norma cohiberi. Quin immo congenitus cuique beatitudinis appetitus (§. 22), nec non naturales se se conservandi (§. 23), atque societatis alicujus colendæ stimuli (§. 49) nos abunde doceant, inesse in propria nostra essentia atque natura elateres cum actionibus nostris copulatos, qui porro necessitatem hypotheticam aliquid faciendi, vel non faciendi nobis imponant (§. 70), unde obligatio & lex naturalis proficiscatur. Sane verissima hæc sunt; verum tamen ita comparata, ut ex iis obligationem & legem naturalem mechanicam potius (§. 69 *sch.*) & animale, brutisque communem

Et quædam naturalis non modo mechanicæ & animalis.

nem (§. 70), quam moralem, solique humanæ naturæ congruentem exculpās.

Quoniam ex æqualitate motus, & incredibili corporum ordine atque constantia naturales eorum leges mechanicas, ex stimulis vero, quibus animalia ad certas actiones feruntur, leges naturales animales cognoscimus, atque hinc intelligimus, *inesse*, ut ait Cicero, *aliquem non solum habitatorem in hac cœlesti ac divina domo, sed etiam Rectorem & moderatorem*, negare profecto non possumus, homini quoque datas esse hæc ipsas naturæ leges, quippe qui & machinarum (§. 12) & animalium naturæ (§. 16) particeps est. Sed cum homo eximium sit animans, & a ceteris maxime diversum; quærenda est lex alia, solique hominis naturæ conveniens; ne, si in principio brutis communi consistimus cum J. J. SCHMAUSSIO C. I. §. 9, *sq.* & C. III. §. I, omnes brutorum atque hominum leges easdem esse statuamus, ac porro vel belluam in hominem, vel potius hominem in belluam commutemus. Qui differunt vero homines ac belluæ? Nonne ratione (§. 11), ac, quæ in hac ponitur, libertate (§. 44)? Vult ergo DEUS esse leges huic humanæ naturæ accomodatas, in quibus nimirum dictæ facultates suis partibus fungantur, & ad quas propriis simul operationibus conspirent. Sed si velit DEUS, inquit AUCTOR *Dubiorum* J. N. c. I. §. 5, *liberum, quod habent, (homines) arbitrium illis pro lege esse, manifestum est nullam legem fore!* Imo vero, quia liberum arbitrium non est sine ratione, sequitur, ut, quod multi docent Græci

ei ac Latini Philosophi, *ratio ipsa sit hominis lex*. Quemadmodum id in sequenti paragrapho evolvemus.

§. 93. Luculentam itaque demonstrationem suppeditat consideratio naturæ hominis propriæ, atque actionum humanarum. Novimus enim non paucas dari actiones humanas liberas (§. 40), hæcque a ratione & judicio (§. 44), id est, ab illis facultatibus pendere, per quas rerum causas, & consequentia cernere, ac, quæ res alteri quasi subjecta sit, vel non sit, intelligere idonei sumus (§. 29). Novimus porro cum istis actionibus per propriam illarum naturam copulata esse consecutaria, quæ prout agentis naturæ congruunt, vel non congruunt, actiones quoque efficiant bonas vel malas (§. 60, *sq.*); quum igitur inde nobis compertum sit, posse hominem ad actiones suas liberas tamquam causas attendere, earumque consecutiones, utpote quæ effectus sunt, perspicere ac experiri, deinde cum suamet natura conferre, & an eidem convenientes vel disconvenientes sint, judicare, porro agendi vel non agendi momenta (§. 32) ex ipsa actionum essentia atque natura haurire; evidens est, *esse momentorum cum actionibus nostris liberis connectiones, hinc esse obligationes & leges morales* (§. 41), *quæ ex ipsa actionum essentia atque natura ductu rationis intelligi, atque expli-*

Sed etiam
moralis.

cari possunt, adeoque naturales. (§. 10, & 89).

Tenemus modo obligationis & legis naturalis definitionem, ab ea, quam dedit GROTIUS de *J. B. & P. I. I. §. X. n. 1*, re ipsa haud diversam, cui nihil solidi obvertunt BARBEYRACIUS & uterque COCCEJUS ad *Grot. l. c.* Imo ipse HOBBIUS tunc nobiscum facit, quando naturæ leges vocat *Conclusiones ratione intellectas de agendis & omitendis, de civ. c. III. §. 33*, vel *Veritates (morales scilicet) a veris principiis recte ratiocinando collectas, & quidem naturales, quod ratio præcipua sit naturæ humanæ pars, et si perperam eas restringat additis verbis, circa ea, quæ agenda vel omittenda sunt ad vitam, membrorumque conservationem, C. II. §. 1*; videbimus enim multo latius patere rationis regulas, quibus oppositæ propositiones omnes falsitates morales dici poterunt (§. 29). Fac modo actionum consecutaria ratione perspici non posse, nulla aderit naturalis lex (§. 66). Fac necessitatem agendi a solis venire stimulis internis sine ratione, & obligationem habebis, legemque brutorum, non hominum (§. 92, 53). Fac bonitatem & malitiam non esse actionibus intrinsicam, & satis probare non poteris existentiam obligationis & legis naturalis (§. 89). Quis vero, si sana mens sit, non intelligat, actiones plurimas nos perficere, alias nobis adspargere imperfectionis labem? Ita cum ipsa linguæ amputatione *malum*, & cum convenientis cibi comestura *bonum* esse conexum videmus, adeoque, ad fugam unitus,

&

& adpetitionem alterius nos impelli experimur morali necessitate, sub conditione nimirum mali evitandi, aut boni consequendi. Et hunc primum indirectæ ac singulares legum naturalium probationes, quæ ab hominum indigentia atque miseria extra societatem aliisque absurdis consequentibus petuntur, suum accipiunt robur. V. GROTI. *de J. B. & P. prol.* §. 6; PUFFEND. *de Off. I. C.* 3. §. 7.

§. 94. Quum tamen experientia nos aperte doceat, naturales hæc actionum consecutiones aliis fortuitis externisque eventibus veluti morte, occultatione, morbis, hominumque imbecillitate nunc obscurari bonas, nunc malas elevari, neque latius earum sensus serpat, quasi supprimitur atque extingui; debile sæpius videri posset obligationis hujus vinculum, nisi eadem ipsa hominis ratio cognosceret esse DEUM, qui perpetua providentia omnia dirigat, atque gubernet, quem nemo fallere omniscium, aut subterfugere omnipotentem possit, atque a cujus vel infinita bonitate aliam præmii retributionem, vel a summa, qua bonitatem temperat, sapientia pœnæ deficientis mensuram quisque expectare debeat. Vehemens fane est hujus spei vel metus vis, & quæ obligationem nostram finibus divinis convenienter agendi maxime corroborat. Inde animi tranquillitas, quæ sustentat bonos, inde

Cui maximum accedit robur a divinis attributis.

de angores, quibus fontes cruciantur. Neque vero positiva dici potest obligatio ac lex, quippe quæ solius rationis ope intelligitur sine revelatione, & ex ipsa natura Dei & hujus universi, nec non ex naturali hominis tum ad Deum, tum ad res alias relatione, ingenitoque felicitatis appetitu promanat.

Hoc ex fundamento probavit etiam APOSTOLUS existentiam legis naturalis; *Ostendunt, ait, opus legis scriptum in cordibus suis - - - cogitationibus inter se invicem accusantibus, aut etiam defendentibus. Rom. II. v. 14. sq.* Etsi enim aliquando nemo sit inter homines, qui promeritam naturalem poenam exsequatur, eam tamen semper ante oculos versari putant, qui peccarunt, CICER. *Milon. c. 23*; quemadmodum Tiberii, Neronis, Caracallæ, aliaque plurima docent exempla. V. Cocc. ad *Grot. prol. §. 20.* Nec aliter conciliari posse videntur bonorum miseriarum, & prosperitates improborum cum Dei sapientia, providentia, ac bonitate, quam si Deum aliud poenæ & præmii genus ita sibi reservasse concedamus, ut alterutrius magnitudine retardationem compenset. Quare lex naturalis non solum ex naturæ humanæ consideratione, sed etiam ex idiomatibus divinitatis derivanda est, ut integrum obtineat robur. V. KOELER §. 286. Et inde factum est, ut definita sit a CICERONE de *LL. I. 6: Ratio summa insita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria*; a D. THOMA *I. 2, Q. 91, art. 2, Par-*

Participatio legis æternæ in rationali creatura; a COCCEJO §. 56, & HEINECCIO I. §. 12, Lex ab ipso DEO immortalis, toti generi humano per rectam rationem promulgata.

§. 95. Finiemus hoc Caput refutatione argumentorum, quibus traditæ supra obligationis & legis definitiones vulgo impugnantur, ut ostensa principiorum firmitate etiam conclusionum veritas a suspicione liberetur. Ac illud quidem potissimum reprehendunt Adversarii, quod nulla in iis definitionibus fiat Entis obligantis, aut legislatoris mentio, sine quo nec obligatio, nec lex ulla cogitari possit. Immo inde inferatur, posse quemlibet hominem agendi motiva sibi repræsentare, ac semetipsum obligare; posse etiam de DEO obligationem, legemque, quæ in ipsum cadat, enuntiari, atque hoc pacto ipsius supremi Numinis ideam ab obligatione & lege excludi. Quæ tamen consecutiones utique falsæ sunt atque absurdæ.

Dubia ad-
versus da-
tas obli-
gationis,
& legis
definitio-
nes.

Hæ præcipuæ sunt difficultates, quas G. SAM. TREUERUS in notis ad *Puffend. I. c. 2. §. 5*, objecit Wolfianæ obligationis definitioni: eique adstipulantur, qui cum *Puffendorffio I. c. II. §. 2, & 5*; *Barbeyraccio ibi*; *Heineccio I. 9*, legem definiunt: *Voluntatem superioris, actiones quasdam sub comminatione pœnæ prohibentis præcipientisve*, atque ideo non aliud facultatis appetendi nobilioris vinculum esse contendunt, quam iusta
alio-

aliorum. Præiverat vero is omnibus HOBBE-
SIUS, qui legem vocat: *Orationem ejus, qui
aliquid fieri, vel non fieri aliis jure imperat:
de Civ. II. 33.* Quid voluit autem sibi hac
definitione Malmesburiensis Philosophus? Id
inde conficere, quod statim addit: *Leges na-
turales non esse proprie loquendo leges, qua-
tenus a natura procedunt; sed quatenus eadem
a Deo in scripturis sacris latæ sunt: ipsas
scripturas vero humanæ rationi alibi subjicit:
LEVIATHAN. C. XXXIII.* Anne animum
ad hanc conclusionem reflexerunt, qui cum
sunt secuti?

Resolvun-
tur.

§. 96. Enim vero parum attendunt ad
logicas definiendi regulas, qui ita ar-
guunt, siquidem duas confundunt quæstio-
nes, quid res sit? & unde illa proficisca-
tur? Etsi enim concederemus obligatio-
nem legemque omnem ad externam quan-
dam causam sive voluntatem alicujus en-
tis intelligentis revolvi, inde tamen non
sequitur, ut in effectus definitione, etiam
efficienti causæ locus esse debeat, multo-
que adeo minus, ut qui a causâ abstrahit,
illam penitus exclusisse videatur. Sed il-
lud quoque est definitionis a vi externa
seu sola alterius voluntate repetitæ vitium,
quod ea obligationi legique simpliciter in-
teriori tribui nequeat, sicque suo definito
sit angustior. Hominem vero quod attinet,
qui agendi motiva sibi repræsentat, vel ea
tollere potest pro suo arbitrio, & obliga-
tus non est (§. 71), vel non potest, &
tunc

tunc non jam a semetipso, sed a motivis obligatur. Quis autem ambigit, quin in DEUM ipsum gloriosa cadat necessitas, ut actiones suas liberrimas infinitæ sapientiæ legibus conformet? Vid. *Timoth. II. 13.*

Quis unquam vel molendini, vel horologii genera ita definivit, ut artifices comprehenderet definitione? Nec propterea mechanicas earum machinarum regulas minus intelligimus; cur igitur legis moralis genus non aliter definiri posset, quam si ejus efficiens causa exprimeretur? Sed sunt leges quoque ac pœnæ conventionales, *L. I. Dig. de Exercit. act. L. 11. D. §. 2, de Recept. arbitr.*, legesque memorat CICERO in *poculis positas* ac legibus populi Rom. prælatas; nec non leges *Pœmatis* atque *Historiæ*, *de LL. I. §. 1.* Imo & Apostolus testatur de gentilibus, quod *Ipsi sibi sint lex: Rom. II. 14.* Concipi igitur possunt sine Superiore leges veri nominis, quæque actionum liberarum sint regulæ. Sane sola Superioris cogitatio sine boni vel mali alicujus repræsentatione nullam adfert necessitatem agendi; contra malum, quod v. c. cum manus amputatione conjunctum est, hominem moraliter obligat, ut ab hujusmodi actione absteat, etsi de nullo superiore cogitaret. Verissime igitur scripsit JCTUS PAULUS, quod *non ex regula jus sumatur, sed ex jure quod est, regula fiat, L. I. D. de Reg. Jur.* At inquires cum BARBEYRACIO *ad Grot. II. §. X. n. 4. Edit. gall.* hoc modo quisque facere, vel non facere poterit, quod in suo est arbitrio? Ita est; an vero leges, quæ ab externa quadam causa

pro-

profluunt, liberum illud arbitrium adimunt? Nonne utraque in specie necessitas adest tantum hypothetica, cujus est libertatem dirigere, sed non auferre? Uti autem, qui externam legem violat, pœnam exteriori metuere debet; ita qui ab interna lege recedit, omnem interiorem pœnam nequit effugere. Nec aliud sensisse videtur CLARKIUS *Rel. Nat. Tom. II. c. III. n. 7*, quando obligationem naturalem non ex bono vel malo, quod ex factis emergit, sed ab ipsa convenientia & discrepantia actionis, atque interiore ejus pulchritudine oriri docuit; sic enim præmia & pœnas externas tantum, non autem interiores agendirationes & momenta excludit.

Atque
aliæ quæ-
dam diffi-
cultates
refutan-
tur.

§. 97. Id minoris adhuc est ponderis, quod addunt, retentis illis definitionibus omnem negari actionum indifferentiam, cum nulla actio rationibus determinantibus destituatur; deinde amicorum consilia atque histrionum persuasiones, imo & latronum minas, quibus commotus viator marsupium præbet, obligationum numero adscribi; postremo sic officia omnia, quæ vobis vel ex obligationis vinculo, vel ex aliis tantum, ut ajunt, momenti incumbunt, susque deque haberi. Quandoquidem satis alibi ostendimus, quænam actionum indifferentia admitti possit (§. 63), & quantum inter consilia & leges, atque obligationes sit discrimen (§. 75). Quod autem viator pecuniam la-

tro-

troni dare obligetur, aut phyfice, quando nulla adest electio, aut moraliter, fi pecuniam retinere sub conditione evitandi majoris mali fit impoffibile, nos fane non negamus; fed probabimus tamen fuo loco, hujusmodi motivorum cum actione connexionem non jure effe factam, ac viatori, fi vires fuppetant, non minus competere refiftendi facultatem, quam fi rabida eum tigris invadat. Frufta demum funt, qui urgent confufionem officiorum. Quum enim nullum tam exiguum fit officium, cui non aliqua quantumvis minima obligatio refpondeat (§. 86), ea quoque danda erat latiffima obligationis definitio, quæ omnes complecteretur officiorum formas; id enim fufficit diftinctioni, quod obligationis, legis, & officii genera, in fuas poftea partes diftribuantur.

Illa eft obligationis moralis effentia atque natura, ut actionibus noftris liberis neceffitatem adferat, non abfolutam & phyficam, fed hypotheticam, atque moralem (§. 71), & hinc moralem quoque earum regulam involvat. Inde vero confequitur, ut, pofta morali agendi neceffitate, obligationem legemque moralem negare fit abfurdum. Etfi igitur diverfæ admodum funt harum neceffitatum & legum moralium formæ, quid vetat illas omnes uni generi fubjicere? Ipsi adverfarii obligationem faciunt aliam internam & ex ipfa actione fluentem; aliam exter-

ternam, quæque a voluntate alterius pendeat; sed cum obligationis & legis genus per Superiorem declarant, nonne tunc obligationem internam ex obligationum numero excludunt? Vidit HOLLMAN *Jurisp. Nat.* §. 6. Quod itaque generalis obligationis definitio ad omnia pertineat officia, definitionis vitium non est, sed necessarium ejus requisitum, a quo cum recesserint non pauci, mirum non est, eos aliquando in repugnantia irruisse. Conciliari enim nequeunt illorum opiniones, (a) qui obligationem definiunt absque Superiore, legem tamen, quæ necessario in obligatione inest (§. 69), negant sic posse defini. V. PUFFEND. I. N. & G. I. I. §. 21. & I. VI. 4; BURLAMAQ. I. VIII. 8; (æ) Qui internam agnoscunt obligationem, eamque nobilissimam vocant obligationis speciem, sed normam cum interna obligatione conjunctam indignam putant, quæ normæ veniat nomine. PUFFEND. *de Off.* I. c. II. §. 6. 8; (γ) Qui aliquam necessitatem moralem fingunt, quæ tamen obligatio moralis non sit; TREUER. *ad Puffend.* I. II. 5, BARBEYR. *ad Grot.* I. I. §. 10. n. 4; (δ) Qui ex malo externo per Superioris voluntatem actioni adjuncto obligationem nasci dicunt inevitabilem, non vero ex malo cum ipsa actione inseparabiliter conexo, BARBEYR. l. c; (ε) Qui contra consilio, quod ab æquali & ab inferiore venire potest, vim tribuunt obligandi, & porro obligationem aliquam esse statuunt sine lege. Vid. §. 75; & BURLAMAQ. I. VIII. 5; HOLLMAN. §. 25. Quæ autem erit verborum pugna, si hæc

hæc non sint? Præterquam quod id non sit
 ex arte, sed, ut verbis utar CICERONIS:
*Populariter loqui, & eam legem, quæ scripto
 sancit, quod vult, aut jubendo aut vetando,
 ut vulgus, appellare; de LL. l. 6.*



CAPUT TERTIUM.

D E

LEGUM NATURALIUM PRINCIPIIS AC PROPRIETATIBUS.

- | | |
|---|--|
| <p>98. Transitio & ordo
Capitis.</p> <p>99. Quæ principio sint es-
sendi L. N.</p> <p>100. Quænam existendi.</p> <p>101. Principium cognoscen-
di, vel qua facultas
est, vel qua fons, con-
sideratur.</p> <p>102. Prius reperitur cum
in naturæ stimulis,</p> <p>103. Tum maxime in ratio-
ne.</p> <p>104. Si modo recta sit.</p> <p>105. Ea vero ope experien-
tiæ confirmatur.</p> <p>106. Perperam igitur alii
ad ideas legum innat-
as, vel ad inspiratio-
nem,</p> <p>107. Alii ad solam auctori-
tatem recurrunt.</p> <p>108. Nec rationem delevit
Adami labes.</p> <p>109. Principii cognoscendi,
qua fons est, requi-
sita.</p> | <p>110. Cur multis inutile,
multis impossibile sit
visum.</p> <p>111. Probatur illius neces-
sitas.</p> <p>112. Et dubitationes refu-
tantur.</p> <p>113. Indicatur Legum na-
turæ fons.</p> <p>114. Unde unica propositio
fundamentalis.</p> <p>115. Dein tres partiales
promanant.</p> <p>116. Est principium no-
strum verum, evi-
dens, & adequatum.</p> <p>117. Ab eo multi verbis re-
cedunt, non re;</p> <p>118. Multi vero principio
utuntur inadæquato &
partiali.</p> <p>119. Quæ aliæ sint appa-
rentis inter doctores
dissensus causæ.</p> <p>120. Quæ principia plane
non sint idonea.</p> <p>121. Ad legum naturalium
pro-</p> |
|---|--|

- proprietates pertinet I. earum perspicuitas.*
 122. II. *Certitudo mathematica.*
 123. III. *Immutabilitas.*
 124. *Quam quidam impugnant sine causa.*
 125. IV. *Necessitas.*
 126. V. *Æternitas.*
 127. VI. *Materiæ, quam tractat, intrinseca moralitas,*
 128. *Cui adversariorum argumenta nullo modo refragantur.*
129. VII. *Conceptus pro parte possibilis abstrahendo a prima rerum causa;*
 130. *Quidquid alii obloquentur.*
 131. *Plena tamen earum sanctio non habetur sine vita futura.*
 132. VIII. *Universalitas.*
 133. IX. *Sanctitas atque X. Facilitas.*
 134. *Refelluntur hostes nostræ discipline.*

§. 98.

Transitio
& ordo
Capitis.

Stabilita sic in universum obligationum & legum naturalium existentia, sequitur, ut quænam earum sint principia, enodatus explicemus. Si enim causas; a quibus illa naturæ scita dependeant, satis enucleare, & quali nobis innotescant modo, in apicum proferre valeamus, tum sane generales tantum, quas pro adferendis hinc actionum humanarum regulis supra adhibuimus, rationes plena circumfundentur luce; atque hoc præstito non modo ceteræ dictarum legum proprietates proclivius detegi poterunt, sed nihil etiam deerit, quod ad refutandos disciplinæ nostræ hostes pertinere videatur.

Quemadmodum reliquæ artes omnes suis atque domesticis principiis instructæ sunt, quibus cognitis cum extrema clarius intelligi, tum ortæ in quavis peculiari tractatione quæstiones solidius dissolvi possint; ita certa ac lucida non deficiunt fundamenta, unde tota hæc nostra disciplina deducatur. Postquam vero omnes fere, qui recentiori tempore in eadem sunt versati, aut varias principii significationes inter se confunderunt, aut, quum de iis consentirent, tamen ostentandi ingenii causa, de formulis, quibus quodque principium exprimeretur, disputarunt; mirum non est, si non tam studii nostri fontes

recludere, quam illos, data opera, obturasse visi sunt. Quare auctor *Dub. Jur. Nat. c. 1. p. 1*, *nescire se*, ait, *an radices Juris rerum natura non ita absconderit, ut eas eruere difficilius sit, quam aurum e terræ visceribus ducere*. Sed satis in aperto sunt hæc radices, si modo attentionem nostram intendamus, atque eos sequamur duces, qui, quum rem ipsam tenerent, sua cuique verba facile reliquerunt.

§. 99. Tria sunt autem, ut alibi dictum est, alicujus rei principia, scilicet Quæ principia sunt efficiendi L. N. possibilitatis, existentiae, & cognitionis (§. 39). Ut igitur a primo initium faciamus, id apparet facillime, rationem, cur leges naturales sint possibiles, in ipsa rerum hominisque essentia seu possibilitate proxime contineri. Naturales enim dicuntur leges, quæ ex nostra rerumque natura explicari atque deduci possunt (§. 10, §. 89). Possibiles ergo hæc non essent, si rerum atque animalis rationalis natura repugnaret; quare ex non repugnantia naturæ legum naturalium possibilitas perspicitur. Id etiam ex eo confirmatur, quod hominis notio actionum quoque liberarum essentiam comprehendat (§. 46), hæc vero efficiens ratio sit, ob quam illæ actiones bonæ sint vel malæ (§. 61), & hinc legi vel præcipienti vel prohibenti subjiciantur (§. 76, §. 93). Quum tamen entia finita omnia rationem, cur possibilia
I sint,

sint, habeant in divina essentia (§. 2, 6); consequens est, ut ab eadem cum humanae naturae, tum quoque legum naturalium possibilitas tamquam ab ultimo rerum omnium principio & causa repetenda sit.

Non igitur ratio ultima, ob quam leges naturales sunt possibiles, *ex intellectu Divino* explicari potest. Etsi enim nihil sit possibile, quod is sibi non repræsentet, tamen rei cujusvis possibilitatem ante animo percipimus, quam ejusdem ideam existentem cogitemus. Ex quo consequitur, Intellectum Divinum rerum possibilitates non efficere: sed eas in infinita sua essentia contemplari. Minus adhuc adferri licet P. Poireto, qui essentias finitas omnes arbitrarias esse docuit, & a DEI voluntate pendent. Quod enim esse potest, idem repugnat, ut etiam non possit esse. Quapropter recte statuunt Philosophi rerum essentias necessarias esse, immutabiles, atque æternas. Fuere etiam, qui omnes essentias a creatoris omnipotentia duci vellent; sed quid est id, nisi possibilitatem externam cum interna commiscere, & jam possibile illud, quod DEUS facere potest, jam vero omnipotentiam vim efficiendi omnia, quæ possibilia sunt, in orbem definire? Itaque non omnipotentia possibilitatem, sed hæc illam antevertere intelligitur. Atque hoc observare oportuit contra *Hobbesium*; qui primum Legis naturae fundamentum ab irresistibili DEI potentia & hominum imbecillitate derivavit, *De Civ. C. XV, §. 5, & 7.*

§. 100. Sicut in rerum atque hominis ^{Quænam existendi.} essentia, quæ in DEO rationem habet, principium possibilitatis sive *essendi* legum naturalium collocavimus (§. 99), sic non ambigimus pro immediato earundem principio *fiendi* seu existentiae, rerum hominumque naturam, hoc est essentiam existentem designare. Ipsa enim hæc natura facit actiones quasdam sub conditione boni adipiscendi, vel mali fugiendi esse necessarias, atque adeo obligationem legemque moralem progignit (§. 93). Quia vero mundi & humani generis Universitati existere fortuitum est atque contingens (§. 6), neque si DEUS non vellet, aliquid unquam ad existentiam pervenire posset; manifestum est, res creatas omnes rationem sufficientem, cur existant, non habere in DEI essentia, tunc enim mundus esset absolute necessarius; sed in actu DEI volendi, cujus norma intellectus perfectissimus sit, & summa ratio. Ex quo conficitur, ut Legum naturalium existentia a DEI voluntate, quæ humanæ naturæ genetrix est, & effectrix, ac cui parere homo utpote creatori suo optimo, sapientissimo, & omnipotenti (§. 94), debet, tamquam a principio fiendi remoto recte protrahatur.

Tenemus modo, quod quærebat Auctor *Dub.*
J. N. I. §. 1, Naturam matrem Juris quasi

in ipso actu, quo jus producere dicitur, constitutam, sive, ut post JCTUM CAJUM, L. 5, D. de adq. rer. dom., ait JUSTINIANUS, Jus naturale, quod cum ipso genere humano rerum natura prodidit, §. 15. Instit. de rer. div. Tenemus etiam, quod aliis præplacuit, DEI voluntatem obligatoriam pro norma actionum humanarum; quæ duæ sententiæ non magis inter se repugnant, quam eorum, quorum unus lucis causam a sole, alter a DEO, qui magnum hoc fecit luminare, derivaret. Ergo, qui ab ipsa hominis natura veluti radice sua efferunt naturales leges, non illi DEUM ex hac sede remonent, sed a natura incipiunt, a qua jus naturale dicitur, & ascendunt ad ipsum naturæ auctorem. Ita CICERO nunc jus naturale vocat, quod ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, pro Milon. C. I. V: Jus in natura constitutum, in natura positum, de LL. I. 10. §. 12: nunc tamen tradit, mente, ratione Deorum naturam omnem regi, de LL. I. 7: dein Principem legem & ultimam mentem esse omnia ratione, aut cogentis aut vetantis DEI; & legem veram atque principem aptam ad jubendum, & ad vetandum, rationem esse rectam summi Jovis, de LL. II. 4. Quapropter etiam GROTIUS de I. B. & P. prol. §. 12, Illud ipsum, inquit, Jus naturale, quamquam ex principiis homini internis profluit, DEO tamen adscribi merito potest, quia, ut talia principia in nobis existant, ipse voluit. An vero Lex naturalis ex intellectu divino, ut traditum est a D. THOMA I. 2. q. XVII. Art. 1, vel ex actu divinæ voluntatis, quæ fuit opinio SUAREZII de LL. I. C. V. n. 17, melius cognoscatur,

ex antea dictis facile definiri potest. Scilicet ex intellectu possibilitas, ex voluntate existentia intelligitur.

§. 101. Principium cognitionis sive analyticum duplex est. Unum *subjecto*, id est, personæ cognoscenti, alterum *objecto*, seu rei, quæ cognoscitur, cohæret. Prius dicitur generatim *Facultas per quam aliquid explorare, atque deprehendere nobis licet*; posterius autem est *Fons, ex quo modo dicta facultas res cognoscendas haurire, atque evolvere potest*. Sive, ut alii volunt, generale axioma, & propositio fundamentalis, quæ omnes reliquas propositiones ejusdem generis tamquam rivos in se complectatur. De utroque hoc principio magnus olim fuit Doctorum dissensus. Primum igitur de facultate, quæ obligationes & leges naturales nos docere possit, postea de fonte, seu enunciato, ex quo illæ leges depromantur, differendum est.

Principium cognoscendi, vel qua facultas est, vel qua fons, consideratur.

Scholastici principium cognoscendi subjectivum, *principium per quod*, objectivum vero, *principium ex quo*, nominarunt. Res hæc interea dilucidari exemplo potest. Quando leges in civitate per edictum promulgantur, quod dein tabulæ in eum finem destinatæ affiguntur, tunc facultas, qua quis pollet, ut edictum legere vel ejus sententiam audire possit, est principium *per quod*; ipsius vero edicti exemplar principium erit, *ex quo* voluntas legislatoris cognoscatur. Fingas etiam in edi-

cto

Et omnia armorum genera , veluti , sclopetata , gladios , nitrum , pulverem pyrium , pilas ignarias singillatim enumerari , & , ne extra provinciam evehantur , prohiberi ; tunc propositio : *Nihil eorum efferas , quæ ad armandos hostes pertinent* ; erit axioma universale , in quo omnes edicti partes continentur. Hoc enim uno posito , quod est ad cognitionem legis satis , plurima sequuntur , quibus non pauca folia impleri possent.

Prius reperitur cum in naturæ stimulis.

§. 102. Esse plures animi propensiones, quibus supremus rerum Auctor omnes homines affectos voluit , communi experientia supra comprobatum est (§. 22) . Igitur , qui hosce novit impulsus , (ignorare autem nemo sanus potest) is facile illorum sententiæ adsentietur , qui primam legum naturalium indicationem a stimulis , seu instinctibus naturæ nobis fieri tradunt. Sunt enim hi stimuli , qui , quoniam sensum internum posteaque boni vel mali cogitationem excitant , necessitatem adferunt hypotheticam aliquid appetendi vel averfandi , & porro indignant quamdam actionum regulam (§. 70) . Atque inde fit , ut persæpe ad res alias utpote bonas rapiamur prompte ac sine examine , alias vero quia malas eadem celeritate aspernemur. Nec dicat quispiam dari varios homines & populos , in quibus nulla talium stimulorum significatio eluceat ; immanis enim hæc indoles non omnes , sed aliquas
tan-

tantum congenitas inclinationes pervagatur; & quum id contingit, vel educationis, vel affectuum, vel consuetudinis vitium est, non naturæ (§. 51), cujus semina nunquam adeo sunt extincta, ut non aliquando possint rursus pullurare (§. 52).

Hæc prima naturæ, Græcis τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, cum olim ARISTOTELES, *de Art. Reth.* l. 13, & §. 3, II. *Phys.* c. 8, tum postea HUG. GROTIUS I. c. II, §. 1, n. 1, testati sunt, ut varias agendi facultates homini inditas comprobarent. Ac propterea HUTCHESONIUS illa *Sensus moralis* nomine non ita pridem designavit, *Phil. mor. edit. Glasgov.* 1734. Et sane non solum bona vel mala physica corpus & membra nostra afficiunt; sed etiam bona, vel mala moralia cor atque animum humanum nunc accendunt, nunc magis minusve perfrigefaciunt. Quis non gaudet narrationibus bene gestorum! Quis contra sceleratorum hominum historiis immo & fictis fabulis non indignatur? Cui non videtur jucundum miseris atque afflictis opem ferre, si modo adventitiæ absint odendi causæ? Uti enim ceteræ mentis & corporis potentiae, ita & morales hi instinctus adulterari atque abusu corrumpi possunt. *Tanta est, inquit CICERO, corruptela malæ consuetudinis, ut ab ea tamquam igniculi extinguantur natura dati, exoriunturque & confirmentur vitia contraria*, de LL. 1, 12. Neque tamen primigeniæ inclinationes unquam tolluntur omnes, siquidem boni appetitum generatim,

tim, cibi ac potus stimulos, procreandæ & educandæ sobolis studium, immo & commiserationem, saltem cum suis, asperæ quævis atque crudeles gentes perferunt.

Tum maxime in ratione.

§. 103. Quum tamen, quæ ab innatis stimulis proficiscitur officiorum præsentio, nec peculiare quasvis species, nec ipsum agendi modum & scopum satis explanet, sæpe etiam inclinationes adscititiæ in naturalium locum succedant (§. 23), manca adhuc, & inchoata remaneret cognitio nostra, nisi initia ipsa naturæ nos commendarent rationi, cujus ope uti aliarum rerum nexus perspicere (§. 29), ita concordia vel repugnantia actionum cum natura, tum earum bonitas vel malitia (§. 60), atque adeo leges præcipientes vel vetantes (§. 76, 93), comperiri possunt. Hæc porro sola est facultas; quam si sequamur ducem, non modo veros stimulos fecernere a spuriis, atque ad finem suum dirigere; sed etiam inde consequentes regulas locis, temporibus, & singulari cujusvis statui accomodare, ceterasque intricatiores quæstiones expendere nobis licebit. Est igitur ratio præcipuum medium & lumen, per quod absolutæ legum naturalium notitiæ exquiruntur.

Ita stimuli famis & sitis nos quidem movent, ut cibum sumamus & potum; eas ve-

ro coercet ratio, ne in ebrietatem abeant, vel
 ingluviem. Stimulat nos ad vim repellendam
 natura, sed id agendi modum præfigit ratio.
 Quam si tollas, *jam vaga profiliet franis na-
 tura remotis.* HORAT. II. Serm. Sat. 7. v.
 74. Præclare itaque CICERO: *Cum autem as-
 sumpta ratio est, tanto in dominatu locatur,
 ut omnia illa primæ naturæ hujus tutelæ sub-
 jiciantur.* Fin. IV. 14. Hinc patet cur leges
 N. dicantur dictamen, aut *Jus rationis*; vid.
*Grot. l. l. 10, II. XXIII. 2; Hobb. II. 1,
 XV. 3; Puf. I. III; Thom. I. V. 4; Koel
 356, 359; non quod ratio istud faciat, sed
 quia rationem objectivam declarat, eo mo-
 do, quo leges vocantur decalogi, aut XII ta-
 bularum. Et quum natura omnis sit a DEO,
 verissime observatum est, leges Nat. esse
 Verbum DEI rationale, Hobb. l. c.; vocem ra-
 tionis esse vocem naturæ, & vocem DEI, Koe-
 ler. l. c.; idem esse DEUM sequi & parere ra-
 tioni, PLUTARCH. de auditu. Quando vero
 ULPIANUS Jus naturæ dixit, quod natura
 omnia animalia docuit, L. 1. §. 3. D. de l.
 & l, naturam latius consideravit, quatenus
 est communis brutis, & τὸ Jus sumpsit pro
 facultate, & stimulis naturalibus. Jus autem
 gentium, seu, quod idem, humanæ naturæ
 proprium, recte definivit cum reliquis JCtis:
*Quod naturalis ratio inter omnes homines con-
 stituit.* Pr. Inst. de I. N. G. & C., L. 1. pr.
 D. de adq. rer. dom. Eoque sensu a PAULO
 JCto Ratio naturalis quasi lex quædam tacita
 vocatur. L. 7. D. de bon. damn.*

§. 104. Rationem vero cum dicimus, Si modo
recta sit.
 sic intelligi volumus, ut vera sit & recta,
 quæ

quæ nimirum cum hominis constitutione aliisque subjectis, in quibus versatur, conveniat; quæ res natura copulatas jungat, aut separet natura discretas; quæ certis denique ac evidentibus principiis nitatur, atque ex illis legitima ratiocinatione concludat. Sane reliquis cogitationibus aut propositionibus non aliter tribuitur veritas, quam si earum appareat cum rebus cogitatis, vel enunciatis consensus & vacuitas a repugnantia (§. 29). Igitur & leges usu rationis enucleatæ, quæque ut propositiones concipi possunt (§. 68), tunc demum pro veris rectisque sunt habendæ, cum notiones, quas quis de illis format, rebus repræsentatis congruunt. Quare qui de rerum essentia atque natura aliter statuit, quam res in se sunt, is deficit a recta ratione, sectaturque stultitiam five alogiam.

Nonne in Geometria ratio Geometræ, qui spatium A, ut majus spatium B, sibi repræsentat, recta est, si spatium A reipsa majus sit? Nonne tunc ratio alterius mensuris, cui illud quidem spatium A spatium B minus esse videretur, falsa & spuria dici debet, quia idem spatium simul esse & non esse majus in eadem relatione non potest. Igitur, an unius ratio recta sit vel non sit, non ab alterius alicujus ratione, sed ab ipsius spatii natura dignoscitur. Idem fit in legibus naturalibus. Recta est ratio, si cum rebus ipsis concordet; quæ vero a recta alterius ratione

non est recta modo de utroque a vero confutatio. dis-
non de modo de utroque a vero confutatio. dis-
non de modo de utroque a vero confutatio. dis-
non de modo de utroque a vero confutatio. dis-

discrepat, ea sane recta ratio non est, sed prava demensque. Quare HOBBIUS, qui alias in danda rectæ rationis definitione nobiscum facit XV, 3, perperam docuit de Civ. II, §. I, not. solam unius hominis rationem alterius esse mensuram. Sic enim rectam unius rationem prava alterius ratio instar normæ & regulæ dirigere posset; quum potius omnium ratio exigenda sit ad naturam rerum, ut appareat, rectane sit, an falsa. Ita an radii in circulo æquales sint vel inæquales, non a ratione alterius, sed ab ipsius circuli constitutione pendet. Ex quibus consequitur, I. ut recta ratio nulli unquam dicet id, quod rectæ alterius rationi de eadem prorsus re cogitanti repugnat; sed quod in me rectum, idem & in alio esse debeat: II. ut, qui semel actionem quamdam bonam esse vere dixit, eandem alia vice malam nominare nequeat; uti qui lineam rectam sibi esse affirmat, illam ipsam alteri esse curvam statuere non potest. Hinc ut actiones hominum tota vita inter se consentire oporteat, nisi a recta ratione aberrare velint eum imitantes, de quo HORATIUS I. Ep. I, v. 97, *sqq.*

- *Quid mea quum pugnat sententia secum,
Quod petiit spernit, repetit quod nuper omisit.
Æstuat, & vitæ disconvenit ordine toto.*

III, ut verissime existimarit CUMBERLANDUS, II, 8, *Ædis concordie lapidem angularem, & fundamentalem a natura jactum esse hanc propositionem: Oportet unumquemque, recta ratione utentem, judicio & appetitu inde determinato consentire cum aliis omnibus recte pariter ratione de eadem materia judicantibus.*

Ea vero
spe expc-
rientiæ
confirma-
tur.

§. 105. Quum plurimas res existentes , & sensibus obvias adhibita sufficiente attentione cognoscere , vel , quod idem est , EXPERIRI quivis possit (§. 17 , 28) , ex omni autem actione libera semper aliqua mutatio sive consecutio, ob quam actio illa moraliter bona dicitur vel mala , necessario existat (§. 60 , 62) ; dubium non est, quin hujusmodi consecutiones sensibus subjectas percipere , eas attentius contemplari , ac porro actionum bonitatem vel malitiam experiendo invenire valeamus. Etsi vero notiones ita haustæ tantum singulares sint ; eæ tamen , quoniam a similibus causis similes producuntur effectus , mutari in universales queunt. Ex quo conficitur , ut non tantum recta ratio , sed etiam experientia probe instituta , constans jurium & officiorum naturalium sit magistra.

Igitur leges naturales non tantum a priori seu ratione , sed etiam a posteriori sive experientia explorantur ; *Ut enim , ait CICE-RO, causa effectum indicat, sic quod effectum est, quæ fuerit causa, demonstrat. Top. 18.* Quamvis porro ignota fuerit Noacho vini vis , tamen postquam bibens inebriatus est , *Gen. XI. 21* , ex majoris mensuræ potu ebrietatem oriri experientia , quæ pariter rerum nexum videt , ac *expectationem casuum similium* gignit , rationis est analogum , ejusque Telescopium dici potest. Atque id movit Hobbesium , ut ad naturæ humanæ facultates etiam

iam *experientiam* referret. *De civ. C. I. §. 1.* Neque tamen opus est, ut in propriis actionibus mala experiamur consecutaria; sed oportet illa ex historia discere atque exemplis, & credere experto. *Non eventus modo hoc docet, stultorum iste magister est; sed eadem ratio, quæ fuit, futuraque, donec eadem res manebunt, immutabilis est,* ait LIVIUS XXII. C. 39.

§. 106. Jam vero & trita illa quæstio, num insitæ nobis sint boni malique notitiæ, ex dictis facile dijudicari potest. Quid enim evidentius, quum instinctum, rationem atque experientiam contemplati sumus, quam innatas esse homini facultates, quarum ope is naturæ leges plana brevique via, & sine institutione comperiatur? Sed quoniam ad leges cognoscendas necessaria est earum facultatum exercitatio, inde consequitur, ut naturæ Auctor actuales atque distinctas propositiones obligatorias in animis nostris veluti in tabulis haud insculpserit. Cur enim, si ita esset, nemo habitarem notionum sibi foret conscius? Cur istæ crescente rationis ac experientiæ usu in dies auferentur? Cur denique non eadem in omni loco, tempore, ac persona adpareret cognoscendi vis? Illa autem inepta prorsus est opinio, quæ morum doctrinam ab inspiratione & revelatione speciali arcessit. Præterquam quod enim talis cognitio non naturalis esset, sed supernaturalis; sic ficta quæ-

Perperam igitur alii ad ideas legum innatas, vel ad inspirationem.

quævis, vel insana hominum deliramenta,
nomen legis induerent.

Qui cum Platonis, & Cartesianis, tum
MELANCHTONE, *Epit. Phil. mor. p. 102*, &
ROB. SCHARROKIO, *de Off. I. N. c. 1*, n. 7,
ideas actuales innatas sumunt, ii, vana pie-
tatis specie, disciplinæ moralis fundamen-
tum locant in hypothese admodum lubrica,
atque infirma, simulque viam solidiora in-
vestigandi principia præcludunt. Ast ex ne-
gatione talium idearum inferri nequit, ut
negandi quoque sint interni stimuli, qui sæ-
pe sine ratiocinio, ac instructione nos de offi-
cio admonent. Nec plus evincitur ex verbis
Apostoli: *Gentes*, ait, *quæ legem non ha-
bent - - ostendunt opus legis scriptum in cor-
dibus suis*, *Rom. II, 14, 15*. Hæc enim ipsa
metaphora, quæ in sacris litteris sæpe adhi-
betur de rebus plane non naturalibus & tan-
tum adsumtis, *Jer. XVII, 1*, *Proverb.*
VII, 3, satis indicat, leges non actu sed fa-
cultate cordibus esse congenitas. Quid, quod
idem D. PAULUS ipsam DEI existentiam *ex
natura mundi*, adeoque ratione, primum,
intelligi tradit, *Rom. I, 19, sq.* Ad inspiratio-
nem specialem recurrunt P. POIRETTUS de
Erud. Trip. L. I, part. 1, §. 23, & nuper
ANS. DESING in *jur. nat. repurg.*, C. III,
Th. XV. Enimvero quotiescumque obveni-
rent hujusmodi notitiæ, illæ non amplius
essent naturales, de quibus tamen agimus;
dein si, ut plerumque fit, figmenta sint cor-
ruptæ Phantasiæ, nonne ad hæc discernenda
opus erit ratione? *Vid. CICERO N. D.*
II, 65.

§. 107. Non igitur, qui ideas legum innatas, & specialem singulorum inspirationem explodunt, ideo naturalem agendi normam vel ab usu & adfuetudine, vel ab exemplo, traditione, iudicio atque informatione aliorum, verbo, ab *Auctoritate* esse hauriendam putant. Sed potius congenitas agnoscunt facultates, quibus homo & inaudita investigare, & audita perpendere possit. Id quidem nemo iverit inficias perfectionem intellectus valde maturari a proba institutione; tanta vero huius non est necessitas, ut ea destituti, quæ naturaliter præcepta sint, vel vetita, suoapte inquirere ingenio nequeant. Quid! persæpe illi, *qui semitam non sapiunt, aliis monstrant viam.* Unde fit, ut multi præiudicatis opinionibus depravati, parvulos naturæ igniculos restinguant, quibus si erumpere liceret, ipsa eos ad bene beateque vivendum natura perduceret.

Alii ad
solam au-
thoritatem re-
currunt.

Publicæ tantum auctoritati rationem subiecit HOBBIUS II, I, XIV, 9, sed P. A. DE-SING., meliore licet consilio, etiam auctoritatem privatam parentum, doctorum, & bonorum virorum rationi præferri voluit; *Jur. N. rep.* Th. 25. Quidnam ergo eos facere oportet, qui vel ab aliorum commercio sunt sejuncti, vel falsas edocti doctrinas? An eum Druidibus *immolare humanas victimas?* CÆSAR. B. G. VI, 16; vel cum Pharisæis *relinquere misericordiam & fidem?* *Matth.* XXIII. 23; aut aliis ubique grassantibus

vitiis indulgere? Sæpe enim, ut vere observat CICERO, cum parentibus redditi, demum magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinione confirmata natura ipsa cedat; Tusc. III. §. 1, cf. & N. D. I. 5. Quanto satius porro esset tunc propriam impendere rationem, quam ingenti illorum gregi adhærere, qui, ut ait LACTANTIUS, in ea re, in qua vitæ ratio versatur, sapientiam sibi adimunt, dum sine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur; Div. Inst. II. 7. At inquires divinam saltem sequantur traditionem & auctoritatem? Ita est. Sed revelatio nunquam repugnat rationi; dein illas tantummodo exquirimus leges, ad quas non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus; CICERO Mil. 4. Fac autem hæc regulas nobis non posse innotescere sine revelatione, tunc nullæ existent leges naturales, nec veritati amplius congrueret, quod ait Apostolus Etiam gentes, quæ legem (revelatam) non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, Rom. II. 14.

Nec rationem delavit Adami labes,

§. 108. Urgent auctoritatis fautores vitiatam ab originali peccato rationem, eoque lumen tam crassis tenebris esse circumfufum, ut nec viri Græciæ, & Latii sapientes a turpissimis erroribus fuerint immunes, nec ceteris hominibus magis de ratione conveniat, quam de gustu. Nemini igitur ad penetranda naturalia vitæ officia suam sufficere intelligentiam posse. Sed

Sed male DEI causam perorant, qui ita concludunt. Depressa enim ratione, primo maximum evertunt veræ revelationis fundamentum, nosque in fœdum pyrhonismum dejiciunt; dein ostendunt in eo, quod hostes sacrarum literarum de veritate amplius convincere nequeant, illosque suo, ut ajunt, gladio jugulare. Postea aperte contradicunt Apostolo, qui gentes solius naturæ licet corruptæ viribus, & sine revelatione morum præcepta affectu esse docet (§. 107, Sch.), denique liberum, quod tamen tueri volunt, sic destruunt arbitrium; nisi enim naturalis ratio boni malique nexum cum actionibus perspicere per se esset apta; neque voluntas in agendo vel omittendo naturali gauderet libertate (§. 44). Quare id omnino tenendum; rectam rationem, quæ secum ipsa nunquam pugnat (§. 107), Adami labè quidem fuisse debilitatam, attamen hominibus perfectò statu utentibus (§. 55) tantam adhuc ejus lucem remansisse, quantum intrinsecæ actionum bonitatis vel malitiæ perspicientia postulat (§. 103).

Inobedientia primorum parentum fauciat humanam naturam, & quum exquisitissima ante adfuisset boni malique notitia, nunc ea honnisi operoso labore sæpe comparari potest. Sed disrumpantur licet, qui cum Auctore *Dub. I. N. c. IV, §. 7, sq.* legem Naturæ sola ratione cognosci posse negant; id

tamen nunquam persuadebunt hominibus sanæ mentis. Hæc enim lex, ut ait AMBROSIUS, non lectione aliqua, sed profluo quodam natura & fonte expressa est. Et ideo legem juste non esse positam, dixit D. PAULUS I. Tim. I, 9. Ita sine revelatione hominis officia satis intellexerunt Melchisedechus, Jethro, Jobus, quorum unusquisque dicere poterat cum Psalmista: *Da mihi intellectum*, (non auctoritatem) *& scrutabor legem tuam*; Psal. 118, v. 34. Ast, inquires, errarunt sæpe homines ratione utentes, & in sententias iverunt diversissimas? Quid tum? An post revelationem pugnae cessarunt atque errores! vitium ergo id rationis non est, sed stultitiæ eorum, qui rationem negligunt. Adjuvatur certe divina luce mentis obtutus, sed qui utitur conspicio, cæcus non est; nec qui naturalem ei tribuit videndi facultatem, contemnit conspicioi usum, quemadmodum adversarii putide vociferantur. Cf. quæ hac de re a me latius disputata sunt in *Novis literariis Germ. Vindob. de anno 1759, mense Mart. a pag. 161, ad pag. 184.*

Principii
cognoscendi,
quæ
sors est,
requisita.

§. 109. Pergimus ad principium cognoscendi objective consideratum, quod communem fontem vocant, aut generale axioma, ex quo recta ratio DEI voluntatem naturaliter obligatoriam, adeoque omnes ac singulas naturales leges elicere, simulque discernere a positivis possit (§. 100, 101). Illud autem concessum est apud omnes, tum ex ipsius principii definitione ac scopo clare patescit, nihil hujusmodi

di nomen mereri, quod primo *verum* non fit, dein *perspicuum*, ac tandem sufficiens aptumque, sive *adæquatum*. Igitur fit verum, ceteroquin ex eo pro veris, quas quærimus, falsæ & fictæ conclusiones directe promanabunt. Sit perspicuum sive evidens, cum enim ob causam maxime comparatur, ut quilibet homo sanæ mentis illud sine difficultate assequi, & ad ceteras veritates eruendas tuto impendere valeat. Sit denique adæquatum, quod scilicet nec plura nec pauciora quam naturalia præcepta vel vetita contineat; quia si adsumitur angustius, tunc non est principium ante definitum; si autem latius, confunduntur naturæ scita cum iis, quæ tantum revelatione vel ab hominibus sunt posita. Contra adæquatum quod est, id non solum est *domesticum* sive proprium hujus disciplinæ, sed etiam suo modo *primum* atque *universale*, siquidem nullæ adesse debent leges naturales, quæ non ab eo defluant quasi capite, & non ad aliud, veluti species ad genus suum, referantur.

Si ab aliquo quæris, cur, exempli causa, illicita sit sui ipsius occisio, tibi non satis faciet dicendo, quia id prohibet naturæ Auctor, sed novam statim institues quæstionem: unde illi innotescat hæc DEI voluntas? Quod si reponat, ita dictare rationem, nondum acquiesces, scire enim voles, quoniam igitur ex principio recta ratio cognoscat illam DEI

voluntatem. Hujus vero principii characteres adnotavit ARISTOTELES I. *Anal. poster.* C. II: *Oportet, inquit, scientiam demonstrativam esse ex veris & primis, & immediatis, & notioribus, & causis conclusionis. Sic enim erunt principia domestica ejus, quod demonstratur.* Et quamvis interpretes in numerandis requisitis variare videantur, reipsa tamen non dissentiunt. Nam qui cum Thomasio I, VI, 4; & Heineccio I, 68, tres tantum ponunt principii characteres, ut sit *verum, evidens, & adæquatum*, illi sub adæquato, etiam *primum, universale, domesticum* seu ratione innotescens, & *determinatum* complectuntur.

Cur multis inutile, multis inh- possibile sit visum.

§. 110. Sed tale aliquod, quale nunc descripsimus principium, aliis parum utile nedum necessarium, aliis autem profus impossibile est visum. Ac de utilitate quidem inde orta dubitatio est, quod naturalia officiorum præcepta etiam sine hoc adparatu indocti intelligere, docti vero, acriter licet de principio inter se disputantes, ea demonstrare, atque in ipsis conclusionibus fere convenire soleant: quod admissa principii doctrina negligantur plures particulares regulæ in nullo ex hæcenus excogitatis fundamentis comprehensæ, quod tandem & reliquæ omnes disciplinæ inanibus hisce subtilitatibus sine ullo determinato superfedeant. Possibilitatem vero idonei principii quidam sic impugnant, ut dicant infinita actionum moralium genera uni propositioni subjeci non

non posse, & ideo post tot improbos conatus a Philosophis prolatum esse nihil, ex quo omnium naturalium legum ratio sine ingenti contorsione elucescat.

Hæ sunt præcipuæ rationes, ob quas KULPISIUS *Coll. Grot. Ex I. Th. 5*; dein GRIBNERUS *Pr. J. N. prol. C. IV*; BARBEYRACIUS *ad Puf. de O. H. & C. I, III, §. 13*; EV. OTTO *ibid. §. I*; BURLAMAQUIUS XI, IV, 4, 5; & GLAFUSIUS I, III, 13, 14. principii sufficientis existentiam atque utilitatem negarunt. Putabant enim, si quis subtiliter judicare vellet, omnia principia gravi quodam defectu laborare. Contra AUCTOR *Dub. J. N. G. V, §. 2, & 15.* principii quidem utilitatem agnovit, illud enim simile facit *margaritæ pretiosissimæ, quam qui invenit omnia vendit, ut illam acquirat*; siquidem ut ab unitate ad multitudinem, a puncto ad lineas & circulos, a semine ad arborem fiat progressus; ita & principii extensione, & multiplicatione Jus oriri possit. Tot tamen excitat difficultates, ut ejus possibilitatem definire ausus non sit. Inde factum, ut post tot de principio certamina disciplinam nostram alii asperam nimis & salebrosam, alii etiam ridiculam invenerint.

§. III. Enim vero eam esse constat rationis naturam, ut nisi universalis aliqua propositio præmittatur, recta ratio peculiare eruere conclusiones non possit, quod quidem agnoscunt omnes modo laudati scriptores, sed id tantum contendunt
ad

Probatur
illius necessitas.

ad vitæ morumque ratiocinia non unam, sed plures generales propositiones pertinere. Atqui omnino falluntur. Quum enim hæ ipsæ generales veritates nos non ducant ad repugnantia (§. 72), adeoque vel reciproçari, vel vero eodem ordine aut simul, aut gradatim progredi debeant; consequens est, ut illæ aliquo modo semper coagmententur, & in aliquem communem scopum veluti totidem lineæ in centrum suum desinant (§. 57, 59), ac porro ut proximum hujus scopi genus unicum disciplinæ nostræ sit principium, Neque exiguum esse hujus propositionis fundamentalis usum ii sunt experti, qui non modo difficiles quæstiones ad eam exigere, sed etiam aptius naturalium legum systema, hoc est, veritatum moralium inter se connexarum compagem, architectari & construere tentarunt.

Notæ sunt Logicorum Regulæ: *Ex meris particularibus nihil sequitur. Et: Quævis ratiocinatio redigi potest ad primam syllogismorum figuram.* Ergo & in proferendis naturæ legibus ratiocinationem a propositione universali quasi prima earum stirpe ordiri oportet. Sane id convenit cuique legi particulari, tendere ad verum bonum (§. 80), adeoque ad perfectionem (§. 14), atque communem finem (§. 59). Non desunt itaque notiones universales & communia fundamenta, quibus æque nitatur nostra disciplina; undecumque illam spectes. Quare recte hac in re
ju-

judicavit HOBBIUS de sua ætate: *Huic philosophiæ parti idem contigisse, quod viis publicis, quibus omnes ingrediuntur, euntque prorsum, & retrorsum, alii animi causa inambulabant, alii rixantur, sed nihil feritur. Cujus rei ratio sit: quod nemo (aut saltem tunc pauci) eorum, qui materiam hanc tractarunt, commodo usus sit docendi principio. De Civ. Epist. dedic.*

§. 112. Et ita evanescunt dubitationes, quæ de unico cognoscendi principio supra admotæ sunt. Quum enim demonstrata sit illius possibilitas, fieri nequit, ut, si id rite ac univèrsaliter fuerit conceptum, particulares quædam morum regulæ in præteritis relinquuntur. Indoctos quod attinet, habebunt ii quidem legum naturalium notitiam atque usum, artem non habebunt; docti vero, quando in conclusionibus consentiunt, principia non statuerunt discrepantia nisi verborum sono; quod si principiis re ipsa differentiibus sunt usi, eorum dissensus etiam in conclusionibus perdurat. Nihil etiam evincit argumentum a reliquis disciplinis petitum, quippe quæ ab hac nostra sunt diversæ, ut proin non statim ab una ad alteram valeat complexio. Quamquam neque illæ suis carent rivis, qui ad unicum communem fontem, veluti Theologia positiva ad revelationem, Physica ad convenientiam cum viribus naturæ revocantur,

Et dubitationes recitantur.

Si-

Sicuti in Logica ratiocinandi vis augetur exercitatione, perficitur autem doctrina, ita naturæ leges sine disciplina cognosci quidem possunt, sed si hæc accesserit perspicuntur penitius. Quapropter etiam CICERO observavit, Juris civilis *magnum usum esse apud plures, artem in uno Sulpicio, quod didicisset, habere regulam, qua vera & falsa judicarentur, & quæ quibus positæ essent, quæque non essent consequentia.* Brut. 45. Quid quod illi etiam, qui non unum, sed plura legum naturalium suprema capita statui volunt, tamen quasi sui immemores fatentur, ista *arctissimo inter se vinculo coherere, æquaque ratione ad promovendos creatoris fines concurrere*, BARBEYRAC. *ad Puf. de Off. I. C. 3, §. 13*; nec non vel *ex natura rei & negotii*, GLAFEY. I, III, 18; vel *ex natura hominis ejusque conditione* derivari, BURLAMAQ. III, C. IV, §. 5. Quum igitur primam propositionem fundamentalem in alias minus fundamentales scindi nemo negaverit; quomodo sic a nobis dissentiant, non video.

Indicatur
Legum
naturæ
fons.

§. 113. Postquam principii unius universalis possibilitatem magnumque usum perspeximus, nullis est opus ambagibus, ut illud jam dudum inventum & facile cuique obvium esse ostendamus. Quum enim medium id esse debeat, per quod recta ratio divinæ voluntatis naturaliter obligatorie certior fieri possit (§. 19), hanc voluntatem vero naturæ Auctor quæ talis expressis verbis haud declaraverit, manifesto colligitur, eam non aliter nobis

patefieri, quam *rebus ipsis & factis*. Itaque ex his primum educere oportet, quodnam in homine creando propositum DEI fuerit, tum vero de regulis constabit, quibus humana vita attemperanda sit, ut ejusdem voluntati pareamus. Quamobrem ii optime sensitse mihi semper visi sunt, qui *finis rerum a DEO conditarum, quatenus ex ipsa earum essentia atque natura solo rationis lumine intelligi, atque actionibus nostris liberis adplicari possunt*, uberrimum esse omnis legis naturalis fontem statuerunt.

Hocce cognoscendi principium non modo diserte commendarunt HEMMINGIUS de *Leg. Nat. in Præf.* & passim; VELTHUYSIUS de *princ. Jusf. in diss. T. II. p. 962*; PRITIUS *diss. de Princ. Jur. Nat.*; WAHLIUS *Acroam. Jurisp. Tab. V. §. II*; KNOBLACH. *diss. de pr. Jur. Nat.*; HEINEC. *ad Puf. I, III, §. 9, n. XI*; TITIUS *ad Puf. Obl. 78*; LEHMANNUS *ad Puf. I, III, §. 10*; & HOLLMANN §. 44, 46, 48; sed etiam in questionibus specialibus ad illud sæpe provocare debuerunt omnes J. N. scriptores. Cf. D. THOMAS *in eth. lect. §. I. 2. q. 94, art. 2*; H. GROTIUS, qui L. II, C. VII, §. 2, n. 1, *a fine in moralibus optimam esse probationem*, scripsit; CUMBERLANDUS II, 7; IV, 2; V, 1, 12; COCCEJUS *diss. XII, §. 45*, ubi *modum Leges N. ex finibus probandi optimum esse dicit & certissimum, & ex eo universum Jus naturæ deduci posse*; AUCTOR DUB. J. N. C. V, 12; cui principium *cum fine idem esse videtur*; BURLAMAQUIUS l. V, 2, 3, 10, II,

II, II, 3, 6, 7, & IV, 5; & DARIÆSIUS §. 144, Cor. IV; & denique WOLFIUS *Ontol. lat.* §. 503. Nec alia fuit mens veterum, a quibus propterea tot disputationes de finibus bonorum institutæ sunt. Audiamus loco omnium CICERONEM *de Finib.* V, 6. *Cognitis*, inquit, *rerum finibus, cum intelligitur quid sit & bonorum extremum, & malorum, inventa vitæ via est, conformatioque omnium officiorum.* Et paullo post: *In his quid sit extremum & ultimum fons reperiendus est: quo invento omnis ab eo quasi capite de summo bono & malo disputatio ducitur.* Tum *l. de L. L.* 5, *Discendum esse*, ait, *cujus muneris colendi efficiendique causa nati, & in lucem editi simus, quæ sit conjunctio hominum. His enim explicatis fons legum & Juris inveniri potest.* Sunt non pauci, qui ex rerum finibus DEI probant existentiam, nos ex illa alibi sapientiam (§. 59), nunc voluntatem derivamus, convenienter dicto Apostoli: *Invisibilia ipsius a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, conspiciuntur.* Rom. 1, 20.

Unde unica propositio fundamentalis.

§. 114. Atque ab hoc fonte primum proficiscitur fundamentalis propositio seu generalis naturæ lex: *Quæcunque actiones nostræ liberæ cum finibus rerum a DEO creaturarum sola ratione conspicuis necessario connectuntur, illæ sunt ponendæ, & quæ ab his finibus desleētunt, omittendæ.* Igitur priores præceptæ, posteriores prohibitæ vocantur (§. 76). Quod si dentur actiones ad fines hosce adsequendos quidem idoneæ, sed non ita necessariæ, ut non aliæ reperiantur,

tur, quibus idem finis æque bene obtineri possit, illæ ad *permissas* pertinent (§. 78). Quum autem id, cujus cognitio ab altero derivatur, primum non sit principium (§. 109), consequens est, ut hæc lex naturæ fundamentalis, quæ ipsa ex rerum finibus per earum essentiam & naturam determinatis hauritur, supremum disciplinæ nostræ fontem non constituat.

Jam observavit SCHIERSHMIDIUS §. 172. *Legem naturalem supremam ipsum Juris naturalis generalissime sumpti principium esse non posse, licet sit principium principio J. N. proximum.* Hinc omnes naturæ leges, neque legi fundamentali excepta, sunt conclusiones, quæ vel immediate ex fonte, vel mediate ex legibus magis fundamentalibus sequuntur. Ita quidem ut fons, vel lex generalis ponatur in propositione syllogismi *majoris*; actio, de qua est quæstio, in *minore*; bonitas vel malitia actionis, & hinc naturale præceptum vel vetitum, in *conclusionis*; v. c. *Quidquid cum finibus divinæ voluntatis necessario connectitur, est præceptum; sed cibum sumere necessario cum iisdem connectitur; ergo.* Contra: *Quidquid DEI finibus repugnat, illud est vetitum, sed nimius potus, vaga venus iisdem repugnat; ergo.* Et hoc modo sicuti radii omnes in circulo a centro ducuntur, atque in illud redeunt, ita vivendi regulæ ex hominis scopo & fine patefiunt, atque ad eundem contendunt. Adposite POETA:

*Vina stim sedant, natis venus alma creandis
Servit, finem horum transilisse nocet.*

Dein tres
partiales
proma-
nant.

§. 115. Quandoquidem hominum existentia, & facultatum ipsis tributarum usus, fines sunt intermedii (§. 58), qui ad manifestandas DEI perfectiones, & gloriam ejus illustrandam utpote ad extremum finem referuntur (§. 58), clara utique est sapientissimi opificis intentio, ut nos finibus hisce, ad quos natura tendimus (§. 22, 49, 59, Sch. 102), convenienter vivere, & porro nosmet ipsos æque ac alios non solum conservare, sed etiam usu facultatum nostrarum nos invicem perficere debeamus. Actiones hominum liberæ, quæ gloriæ DEI amplificandæ inserviunt, *Cultum* seu amorem DEI, quæ nosmet ipsos perficiunt, *Philautiam* seu amorem sui, quæ aliis civibus perfectionem adferunt, *socialitatem* seu amorem proximi constituunt. Itaque tenemus causam, cur omnia hominum officia ad tria hæc capita reduci, & inde veluti a propositionibus secundum quid fundamentalibus repeti passim soleant.

Tria porro sunt objecta, in quibus naturales leges versantur, DEUS, nosmet ipsi, atque alii homines. Addunt quidam Angelos & bruta, sed illos ratione non cognoscimus, hæc vero cum obligationis moralis, tum Juris veri nominis sunt expertia. *Nilil*, ait CICERO, *hominis Juris cum bestiis III. Fin. 20.* Quod autem intuitu brutorum, & reliquarum rerum facimus, ea ex tribus prioribus

bus officiis satis explicantur. Atque cum his principiiis summa est ethnicorum scriptorum cum sacro Codice harmonia. *Iustitiam adferre observat CICERO, cum cognitum habeas, quod sit summi Reſtoris & domini numen, quod conſilium, quæ voluntas, cujus ad naturam apta ratio vera illa & summa lex a Philoſophis dicitur, Fin. IV. 5.* Porro Philoſophia nos primum ad deorum cultum, deinde ad jus hominum, quod ſitum eſt in generis humani ſocietate, tum ad modeſtiam, magnitudinemque animi erudit; *Tuſc. I. 26.* Idemque alibi docet: *Neceſſarium eſſe ut ſapiens nihilo ſe ſe plus quam alterum diligat.* Tum nos natura propenſos eſſe ad diligendos homines, quod fundamentum Juris ſit, *de LL. I, 12, & 15. Cf. & LL. 23.* Id ipſum fortiter inculcant illa ſacrarum litterarum loca: *Eſtote perfecti, ſicuti & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Math. V, 48. Super omnia caritatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. Coloff. III, 14. Diliges Dominum DEUM tuum - - Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum: In his duobus mandatis univerſa lex pendet. Math. XXII, v. 37, ſq. Omnia, quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Math. VII, 12. Cui altera reſpondet facilis, & dudum celebrata regula: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.*

§. 116. Juvat modo omnes quos ſupra (§. 109) deſcripſimus principii cognoſcendi characteres cum fonte noſtro comparare, ut inde adpareat nos genuinam

Est principi-
um no-
ſtrum ve-
rum, evi-
dens, &
adaequa-
tum.

le-

legum naturalium stirpem detexisse. Quid autem esse verius potest, quam divini Creatoris fines sola rerum natura conspici, quos utique negari ausit nemo (§. 58, 59), aut repugnantiae arguere (§. 29). Quid *evidentius* homini sana ratione utenti, licet alias rudissimo, quam finibus hifce convenienter esse vivendum, qui in naturali DEI cultu, & porro in sui atque aliorum perfectione, seu felicitate positi sunt (§. 115). Quid denique magis *adæquatum*, quam illud, quod naturalia officia omnia erga DEUM, seipsum, & alios complectitur (§. cit.), cunctas vero ratione non cognitatas leges & mere positivas excludit (§. 113). Si igitur est adæquatum, quin *primum* fit, *universale* & *domesticum*, nequit dubitari (§. 109).

Qui veritatem principii nostri impugnare nequeunt, in illo tamen desiderant evidentiam, quod nec fines naturæ omnes cogniti sint, nec ex illis leges quævis particulares uno quasi intuitu perspicere, aut immediate saltem deduci possint. GLAUF. I, III, 56-60. Ast satis est nos eos fines cognoscere, e quibus omnes naturæ leges mediate saltem promanant. Falluntur enim, qui tantum alicujus principii poscunt evidentiam, ut eo audito statim ac sine ulteriori ratiocinio se se ultro offerant reliquæ conclusiones. V. GUNDELING II, 11, *sq.* Hoc enim modo neque principiis metaphysicis contradictionis, aut rationis sufficientis evidentia tribui posset.

V. LEHM, *ad Puf. I, III, 10*; & SCHIRSCH, §. 170, Sch. II. Pendent & in catena annuli omnes a primo, etsi hunc immediate haud ttingant. Sunt alii, qui principium nostrum adæquatum esse negant, quod commune sit rebus creatis omnibus, & legibus civilibus, HEIN. *J. N. I. §. 77, Sch.* Sed salva res est; illos enim fines determinavimus, quos recta ratio ex ipsa rerum natura colligere & actionibus liberis applicare potest. Urgeat nunc GLAFEY. I, III, §. 18, ex finibus rerum non intelligi hanc propositionem: *Nemo obligatur ad impossibile*: Primo enim non est hæc lex, sed legis negatio, dein aliquem ad actionem impossibilem cogere manifestis utique voluntatis divinæ finibus repugnat.

§. 117. Quicumque usum suarum facultatum ad naturæ fines collineat, is I. actiones liberas determinat per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales (§. 58); II. vivit secundum naturam (§. 102, 103); III. & , ut alii loqui malunt, veritatem realem sequitur (§. 29); IV. mundi totius ordini se se accomodat (§. 92); ac V. perfectionibus rerum convenienter operatur (§. 14); itaque VI. bonum facit, & malum evitat (§. 60, §. 15); & sic VII. quæ obligationi ex ipsa essentia fluenti consentanea sunt, capessit, dissentanea declinat (§. 61, §. 62). Porro VIII. DEI attributa imitatur (§. 59); IX. tamquam creatura Creatori se conformat (§. 94); X. DEUM, se ipsum, aliosque

Ab eo multi verbis recedunt, non re.

que ordinate amat (§. 115); & XI. in universum officia relationibus dimittitur (§. cit.); atque hoc modo XII. cum omnibus id, quod eisdem debetur, tribuit; tum XIII. voluptatem veram atque durabilem, sive felicitatem consecratur (§. 25, 79, 95). Hæ totidem sunt propositiones generalissimæ & fundamentales a variis nostræ disciplinæ cultoribus in medium prolatæ, quas, quoniam omnes patefacta & explicata sententia ad eundem exitum veniunt, atque inter se recipiuntur, facile intellectu est, verbis tantum & non re dissidere.

Primam principii formulam adornavit CHR. WOLFFIUS in omnibus suis operibus moralibus & præcipue Inst. §. 7, 11, 43, 44. Deinde KOELERUS §. 340 - 42, multique recentiores. Secunda utebantur Stoici, qui *finem bonorum existere* dicebant, *secundum naturam vivere*, id est, *vivere ex hominis natura undique perfecta & nihil requirente*. CICER. *Fin. V*, 9. Quibus GUIL. GROTIUS I, 9, pluresque alii inhæserunt. Tertia est WOLLASTONI in *del. Rel. Nat.*, & ASHLEÏSYCKES in *Exam. Princ. Rel. Nat.* Quarta BODINI *diff. de Jure mundi* §. 6. Quinta DARIËSII *Obs. J. N. XXXIII*, §. 1, *sqq.* Sexta D. THOMÆ I, 2, Q. XCIV. *Art. 2.* Septimam promiscue amplexi sunt non modo scholastici Doctores, v. SOTO de *J. & J. Lib. I*, 2, 5, *Art. 4*; SUAREZ de *LL. II*, c. 7, n. 5; sed ipse etiam HUG. GROTIUS de *J. B. & P. I*, C. 1, §. 10, & 12; & SCHIERSCHMIDIUS

DIUS §. 168, 170, 172. Octavam docuerunt MELANCHTON *El. eth. doct.* L. II; & SAM. RACHELIUS in *J. N. & J. diff.* I, §. 30; OSIANDER in *Typ. leg. N.*; JÆGER, *Tr. de L.* L. 2. 6, n. 9; ROEHRÉNSEE *de fund. J. N.* §. 7. Nona est ZENTGRAVII *de Or. Jur. Nat. Art.* 5, & 9; & FERBERI in *Phil. J. N. c. 1*, §. 74. Decimam post BEN. WINKLERUM III, 1; HUG. de ROY *diff. de eo quod justum*, Tit. III, §. 5; HEDINGERUM *Conspect. Nat. Jurisp.* 2. 2, §. 13; JOH. GUIL. JANUM *diff. Jud. Erudit. de pr. J. Nat.*; aliosque plures eleganter illustravit J. G. HEINECCIUS I, §. 79, 93. Undecimam totidem verbis tradidit EPICLETUS *Ench.* 37; & dein NIC. PRAGEMANNUS *diff. de Pr. J. N.* §. 32, *sqq.* Duodecimam evoleserunt SAM. STRIMESIUS *diff. de pr. in mor.*; JOH. SENSITIUS in *Sched. J. Nat. sect.* 3, §. 4; & nuper SAM. COCCEJUS *diff. XII. ad Grot.* §. 50, 53. Decima tertia tandem placuit THOMASIO I, VI, 21, 24; JOH. W. a LITH. *diff. de prim. pr. L. N.* §. 13. Fluunt autem omnes hæc propositiones ex fonte nostro, & quoniam voce discrepant, sententiis congruunt, invicem quoque sibi substitui possunt. Illud tamen prætermitti nequit, eos, qui amorem vel perfectionem, vel DEI voluntatem pro principio statuunt indeterminate, leges naturales confundere cum positivis; qui vero ad DEI recurrunt attributa, multis particularibus quæstionibus difficulter se se expedire. Ita edere, bibere, obedire parentibus, referre gratiam benefactori, leges sunt naturales; ast magna contorsione opus est, ut istæ ad imaginem divinarum

perfectiōnum referantur. Cf. PUFFENDORF
Spec. Contr. C. IV.

Multi ve-
 ro princi-
 pio utun-
 tur inad-
 æquato &
 partiali.

§. 118. Non eadem est sequentium pro-
 positionum ratio: I. Conserva te ipsum: II.
 utilitatibus tuis in hac vita consulas: III.
 vive socialiter: IV. benevolentiam om-
 nium erga omnes, quæ proclivitas est alios
 perficiendi, enixe promoveas: V. in hu-
 mani generis durationem totis incumbas
 viribus: VI. nihil denique agas, quod
 perfectiōnes aliorum, sive pacem exter-
 nam turbet. Etsi enim fundamenta hæc
 vera sint atque domestica (§. 115), ta-
 men priora duo solummodo officia erga se
 ipsum, tertium, quartum, & quintum non-
 nisi officia erga alios tam affirmativa
 quam negativa, sextum officia erga alios
 negativa tantum complectuntur compre-
 hensione sua; igitur principia Juris natu-
 ralis non sunt universalialia & absolute pri-
 ma, sed secundum quid fundamentalia,
 & certo officiorum generi accommodata
 (§. cit.); si enim hæc supremæ essent le-
 ges, tunc in statu collisionis, quæcumque
 officia erga DEUM iis, quæ homini debentur,
 officiis cederent, in his vero aut pro-
 pria conservatio perfectiōni totius universi
 (n. I. & II.), aut levia cujusvis commo-
 da propriæ conservatiōni essent præferen-
 da (n. III. sqq.), quod tamen regulis su-
 pra stabilitis, & infra magis elucidandis
 omnino repugnat (§. 88, 115).

Nunc

Nunc primam, nunc secundam propositionem promiscue adhibuerunt Epicurei, quibus *Utilitas justii prope mater & æqui est*; HORAT. *I. Sat. III, v. 98*; v. CICER. *Off. III, §. 5, sqq.* Hisce adsentiti sunt HOBBSIUS l. 7, & 10. II. 2; SCHARROCKIUS *de Off. C. I, §. 3*; PROELEUS *in notis Germanicis ad Puf. L. 1, c. 3, §. 9*; RECHENBERGERUS *Diss. de prin. cogn. Lips. 1746.* Enim vero falsum prorsus est principium ab utilitate petitum, si hanc definias, quod sit, *Aptitudo præstandi nobis aliquem usum in genere, seu dependentiam actualitatis rei ejusdem alterius ab ipsa.* Tunc enim facultas physica perperam confunderetur cum morali (§. 83); v. WOLFF. *Ph. Pr. I, §. 262, & 265.* Ast si usum dicas dependentiam actualitatis rei cujusdam alterius, quæ mala non est ab eadem; WOLFF. *Th. N. I. §. 646*; tunc principium verum quidem erit, sed inadæquatum. Tertiam multi jam e veteribus statuerunt; CICER. *I. Off. 16*; quos secuti sunt PUFFENDORFIUS *J. N. & G. II, III, §. 10, sq. §. 15, §. 19*; NIC. HERTIUS *diff. de Social. prim. J. N. pr.*; SIBRANDUS *de Pr. J. N.* aliique; imo H. GROTIUS ipse *J. B. & P. prol. §. 8*; qui tamen non docuit socialitatem esse omnium officiorum caput, sed eorum tantum, quæ aliis debentur (§. 117; n. VII). Quarta est CUMBERLANDI l. 4. Quinta STRUBII in libro, cui titulus: *Recherche nouvelle de l'origine du droit de la nature.* Tandem sextum propugnarunt EPH. GERHARDUS *de J. N. L. I. C. 9, §. 19*; GUNDLINGIUS *J. N. ac G. C. II, §. 18*; & GEORG. BEYER, *de Jur. div. c. 9. §. 22.*

Quæ aliæ
sint appa-
rentis in-
ter docto-
res dissen-
sus causæ.

§. 119. Jam vero præcipuæ patent causæ tot dissensionum, quæ de primo Legum naturalium fonte inter plerosque Doctores sunt exortæ. Ideo enim alii I. in DEI essentia ac proprietatibus: alii II. in ejusdem voluntate naturaliter obligatoria: alii III. in recta ratione tale principium invenisse sibi visi sunt, quod illi principium possibilitatis (§. 99), isti principium existentiae (§. 100), hi principium cognitionis subjective acceptum (§. 102) animo cogitarunt. Ex ceteris autem, quibus de principio congoscendi objective sumpto, seu de propositione fundamentali, fuit sermo, quidam IV. integrum disciplinæ nostræ ambitum, quidam V. unum solummodo vel alterum illius caput (§. 115) pertractant. Re igitur ipsa sibi haud obloquuntur.

In primam sententiam non pauci iverunt Scholastici, quos nominat THOMASIVS in *Jurispr. Div. C. IV, 20, seqq.*, qui tamen magnopere in eo fallitur, quod putat, *hanc conformitatem cum essentia divina originem debere philosophiæ gentili*; illam enim tam recta ratione (§. 99), quam Evangelio fulciri, ex loco *Matthæi V, 48*, supra dilucide ostensum est (§. 115, Sch.). Pro altera sententia pugnarunt olim COCCII Pater & filius in *Disquis. & Tractat. de Pr. J. N.* Tertia AZORIUM *Inst. Mor. T. I, L. VI, C. 1.* habuit advocatum; qui vero ad IV. & V. classem spectent, id paullo ante (§. 117, sq.) vidimus.

§. 120. Verum a disciplinæ nostræ via plane aberrant, qui fundamentalium le-
 hum loco sequentes propositiones sugge-
 runt. I. Fac id, quod natura omnia ani-
 malia docuit: II. studeas generationi:
 III. nosce te ipsum; quippe quæ recen-
 tis supra idonei principii characteribus
 haud sunt insignes. Nec magis ad huncce
 accedunt scopum, qui naturæ leges vel
 IV. statui integritatis & reliquiis imaginis
 divinæ, vel V. septem præceptis, quæ
 Noacho data esse putant Ebræi, vel VI.
 decalogi tabulis, vel VII. doctrinæ Evan-
 gelicæ, vel VIII. communi moratorum
 gentium consensui tamquam unico funda-
 mento superstruere conantur. Quemadmo-
 dum enim singula hæc principia non ab
 humana ratione, sed a revelatione, & au-
 ctoritate proficiscuntur; ita nec Noachi
 præcepta a falsitatis suspicione adhuc li-
 berari potuerunt, nec consensus gentium
 sufficienti evidentiâ ac veritate se com-
 mendat (§. 90). Pestilens vero & ab-
 surda est ea opinio, quæ IX. determinat
*Jus naturæ cujuscumque hominis ex sola ejus-
 dem cupiditate atque potentia (§. 83).*

Primum fundamentum defendisse visi sunt
 ARISTOTELES *de Art. Rh*, I, c. 13; & UL-
 PIANUS *L. I, §. 3, D. de J. & J.* quod
 dein nostra ætate magis elaborarunt CAR.
 FERD. HOMMELIUS *in Propos. de novo Syst.*
J. N. & G. Lips. 1747. Et ex illo JOH.

JAC.

JAC. SCHMAUSIUS in *Novo Syst. J. N. Gotting.* 1754. Sed illud supra satis refutavimus ; quia non inest in primis naturæ conciliationibus honesta actio , consequens enim est , & post oritur ; CICER. *Fin.* III , 6. Secundum est HAUSCHILDI in *Nova basi J. N. Dresda* 1738. Tertium JOH. GOTT. ROSÆ in *diss. de cognitione sui, J. N. prin. Jenæ* 1718. Quartum VAL. ALBERTI in *Comp. J. N. Lips.* 1676. Quintum SELDENI in *J. N. & G. juxta discip. Ebræor. L. I, C. 10.* Sextum HEMMINGII in *Apodiēt. Meth. I. N.* ; & JO. OLDENDORFII in *Isagog. J. N.* Septimum GRATIANI in *distinct. I. pr.* & PRASCHII in *Design. J. N. ex discipl. Christ.* ; quod tamen si admiseris , aut duo priora , sequetur Adamum multosque ejus posteros principio cognoscendi caruisse. Octavum legitur apud CICERONEM : *Omni autem in re , inquit , consensio omnium gentium lex naturæ putanda est. Tusc. I, 13 ;* atque hæc probandi ratio , etiam Grotio , prol. §. 40 , & I, I , §. 12 , 1 , reliquis popularior est visa , ut ad eo quod posterius est , quid Jure Nat. obtineat , colligatur. Nono adhæsit SPINOSA in *Tract. polit. C. XVI* , docens *J. N. nihil nisi quod nemo cupit , & nemo potest , prohibere.* Sed , dum hoc modo potentiam physicam cum morali commiscuit , secundam omnino negavit.

Ad legum
natura-
lium pro-
prietates
pertinet
I. earum
perspicui-
as.

§. 121. Ex datis antea principiis , ducuntur Legum naturalium proprietates. Ita quoniam earum indicia existunt in natura rerum (§. 113) , atque innatis cuique stimulis (§. 102) , plenissima autem cognitio adhibita attentione & intelligentia

tia a nobismet ipsis comparari potest (§. 103) ; nemo iverit inficias , plana esse , liquida , & sufficienter promulgata naturalia morum præcepta (§. 73) , superabili porro ignorantia illos omnes laborare , in quorum potestate positum sit , ut ratione utantur (§. 71 , *Sch.*). Neque artificiosa ad id requiritur argumentorum concatenatio , siquidem generalibus legum capitibus etiam abjectioris ingenii homines adsentiuntur statim (§. 116) : quæ vero inde fluunt remotiores conclusiones tunc saltem illis innotescunt , si agere parati ad res circumstantes animum advertere , has cum aliis similibus sive præteritis sive futuris conferre , atque ad nota jam principia reducere volunt. Sæpe tamen *Facti* , hoc est , rerum singularium , quæ sub genere lege determinato comprehensæ sunt , inscitia hujusmodi est , ut neque ab acutioribus depelli queat ob involuntarium experientiæ defectum (§. 105).

Nunc intelligimus illorum sententias , qui leges naturæ sine auctoritate disci posse negant , nec tamen invincibilem admittunt illarum ignorantiam , habito usu rationis , esse hujusmodi , ut una ab altera necessario destruat. Cf. *DESING Jus N. C. III, Th. 21, & Th. 24, n. 2* , juncto *C. VII, Th. 2*. Sed ais : Medicinæ & matheseos regulas sola quidem ratione reperiri , nec tamen dici natura notas ; igitur & morum præcepta eo tantum sensu patere , quo , ut loquitur *HOBBIUS*

de Civ. C. XIV, §. 19, Archimedes invenit ratione naturali, quam proportionem habeat sphaera ad Cylindram. Quid enim secus oportet dare operam discendis rebus aliunde manifestis? Enim vero curam morborum & quantitatis dimensiones tota vita prætermittere homo sanus sui que compos potest, ab omni actione morali abstinere non potest; hæc igitur regulæ semper necessariae sunt, non illæ, ad quas porro neque inclinationibus congenitis ita stimulamur. Consentunt PSALMISTA: Præceptum, ait, Domini lucidum illuminans oculos; Ps. XVIII, v. 19; & SENECA: Natura; inquit, quidquid nos meliores beatosque facturum est, aut in aperto, aut in proximo posuit; de Benef. VII, C. 1; Cf. Sapient. Cap. VI, v. 3. Ideo autem discimus has leges, quia, ars tamen dux certior, quam natura; CICER. Fin. IV, 4; & quia, Quæ bona sunt fieri meliora possunt doctrina; idem Orat. I, 25; præcipue vero, ut, quod alias in infinita dispescitur, in una cognitione positum sit.

II. Certitudo mathematica.

§. 122. Utrum vero legum naturalium, maxime earum, quæ operosiore ratiocinio nituntur, tanta certitudo sit, quanta propositiones mathematicas commendat, id nonnulli in disceptationem vocarunt. Sed quum de propositionibus mathematicis certa & necessaria veritas ideo enunciatur, quod a principiis evidentibus apta concludendi ratione derivantur, hæc ipsa autem principiorum necessitas & evidentia neque in nostra desit disciplina (§. 116), satis
li-

liquet, in moralibus non minus, quam in mathematicis veritatibus absolutam perfectamque certitudinem inveniri posse, dummodo nihil sumptum sit, quod nostrum non rapiat assensum, nihilque in argumentandi modo a legitimis demonstrationum regulis discedatur. Quare, quæ objici solent ambiguitates, illæ non a legis incerto, sed vel a non usu intellectus, vel a facti quæstione (§. 121) nascuntur.

Parem esse in doctrina morali, ac in mathematicis disciplinis certitudinem negavit ARISTOTELES *Eth. ad Nic. I. c. 1*, eumque secutus est H. GROTIUS triplicem ob causam. I. *Quia Mathesis a materia omni formas separat*; II. *quia formæ ipsæ tales plerumque sunt, ut nihil habeant interjectum, sicut inter rectum & curvum nihil est medii*; III. *quia in moralibus circumstantiæ etiam minimæ variant materiam*; de *J. B. & P. II, XXIII, §. 1*. Sed nulla in his apparet differentię ratio. Primo enim profitetur ipse GROTIUS: *Sicut mathematici figuras a corporibus semotas considerant, ita se in Jure tractando ab omni singulari abduxisse animum*; *Prol. §. 38*. Deinde actiones liberas singulares, quæ mediæ sint inter bonas & malas, jam supra explorimus (§. 64); postremo nihil attinet, legum materiam a minimis circumstantiis variari; siquidem minima accessio, vel decessio quantitatem quoque mutat, at nihilominus firmæ manent matheseos regulæ, illisque quævis species applicantur. Neque enim

cer-

certitudo a qualitate objecti, sed ab evidentia principiorum & legitima concludendi methodo pendet, quæ duo adjumenta habet & morum disciplina, ut non magis certum sit totum majus esse sua parte, quam creaturam creatori obsequi debere. Illud tamen præclare admonitum est a LOKIO, Mathesin in eo præstare visam esse morali doctrinæ, quod illa ideas quantitatis constantibus signis veluti numeris, figurisque adjuvaret; hæc autem vocibus tantum uteretur ambiguis, quæque nunc ideam simplicem, nunc compositam, nunc a priore plane diversam enunciarent; dandam itaque operam, ut, definita semel vocabuli potestate, hoc ad alias notiones significandas numquam trahatur; *de Intell. Hum. IV, C. II, §. 9, sq. & C. III, 18, sqq.* Sed nec veritates mathematicæ affectibus, & sensuum illecebris obscurantur, sicut veritates morales.

III, Im-
mutabili-
tas.

§. 123. In eo autem naturæ leges a reliquis omnibus maxime discernuntur, quod sint immutabiles. Hæ enim solæ in ipsa hominis rerumque essentia vel absolute, vel cum certis adjunctis consideratione rationem habent (§. 89, §. 99), & simul actionum convenientiam, vel inconvenientiam exprimunt cum perfectissima DEI essentia atque natura (§. 117). Quum igitur divini numinis attributa rerumve ab eo conditarum essentias alicui mutationi subicere (§. 99, Sch.), aut ab actionis notione vel simplici, vel hypo-
the-

thetica effectus, ob quos bona dicitur vel mala, separare, involvat repugnantiam (§. 61); consequens est, ut etiam naturalia Jura eadem semper manere debeant atque immutabilia, nec juberi aut permitti unquam possit, quod illis est prohibitum; nec, quod iisdem præceptum est, vetari.

Fingas possibilem esse naturalium legum mutationem; tunc, DEUM negare, licitum, ejusdem vero gloriam illustrare, illicitum fieri posset, quod non minus absurdum est, quam si a triangulo tres lineas auferri posses. Sicut autem DEI attributa non ex ipsius voluntate, sed ex essentia concipimus; ita ex hac, & non ex voluntate juris naturalis immutabilitas est eruenda. Dantur enim leges, quas DEUS non voluit nisi pro tempore, & quæ porro sine mutatione divinæ voluntatis cessant; cujus rei exemplo sunt leges Ebræorum ceremoniales & forenses. Quare nihil evincit COCCEJUS *ad Grot. diff. I, seqq.* quum negata interna actionum moralitate, inde tamen naturæ leges immutabiles esse contendit, *quia DEUS illas semel voluit.* Quandoquidem illa vera est atque unica ratio, quia in ipsa rerum hominisque natura inniuntur. Adposite CICERO: *Huic legi nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus; apud Lætant. Inst. Div. VI, c. 8.*

Quam qui-
dam im-
pugnant
sine caus-
a.

§. 124. Illud equidem negari nequit, sæpe imaginem quamdam mutationis fallere minus attentos posse, quum nimirum leges, quæ nonnisi pro certis circumstantiis latæ sunt, cessante eo rerum statu amplius non apparent. Re vera tamen nulla fit ipsarum legum mutatio, quippe quæ posita nova hacce peristasi nunquam antea existiterunt (§. 87); & quæ e contrario, priore specie iterum obveniente, idem semper servant robur. Nec propterea quidquam negatur de DEI omnipotentia; hæc enim vis est omnia agendi possibile, seu quæ salvis divinis perfectionibus intelligi possunt; ob id ipsum igitur, quod DEUS sit omnipotens, nihil de eo enuntian- dum est, quod infinitæ illius essentiæ repugnaret (§. 121). At inquis: homines sæpe juri sibi competenti renuntiare? Utique renuntiant, non tamen juri strictè tali, quod a determinata lege pendet, sed juri tantum permissivo. Denique nec in statu collisionis alterutra mutatur lex, verum casu atque eventu impossibilis fit utriusque custodia (§. 88).

Decalogi præcepta per DEI omnipotentiam esse mutabilia opinatus est OCKAMUS apud Suarezium de LL. II, p. 15, n. 3. Perperam; siquidem in ente infinito non ea vis concipitur, qua aliquid simul sit, & non sit, nec porro, qua id, quod essentialiter a perfectissima recedit natura, ut ad eandem etiam

accedat, obtineatur. Verum juvabit hæc
 exemplis magis illustrare. Lex est naturalis,
agrotis opem ferre; quod si omnes bona
 utantur valetudine, ideo nulla fit legis mu-
 tatio, sed definunt solum materia & cir-
 cumstantiæ, quibus lex est circumscripta.
 Proin lex, *non occides*, variationem excludit,
 quamvis in statu collisionis ad propriam vi-
 tam defendendam fiat exceptio ab una lege,
 ut conservetur altera (§. 88, *sch.*) Qua in re
 non de voce tantum disputamus, an scilicet
 talis actio *homicidium* sit dicenda, ut facit
 THOMASIVS J. D. L. I. c. 2, *sqq.*, nec enim
 tot habemus vocabula, quot sunt adjuncta,
 quæ ipsam actionis essentiam efficiunt diver-
 sam; sed id unice quærimus, an tunc vi-
 tam alicui adimere lege naturali vetitum fue-
 rit, & hoc infra negabimus. Denique, quod
 ait ULPIANUS, jus positivum neque in *to-
 tum a naturali recedere, nec per omnia ei servi-
 re; sed nun addere aliquid, nunc detrabere*, L.
 6, D. de J. & J., illud ad jus naturale per-
 missivum pertinet, seu libertatem moralem.

§. 125. Quidquid immutabile est, idem IV. Nec
cessitas.
 & necessarium esse oportet, siquidem,
 quod ei oppositum est, repugnat (§. 37).
 Itaque ex naturalium legum immutabili-
 tate illarum quoque necessitas concluditur.
 Quamquam enim existere vel non existe-
 re fortuitum erat rebus creatis omnibus
 (§. 5), hominis tamen rerumque essen-
 tia, qua veluti fundamento nituntur na-
 uræ leges (§. 99), fortuita non est, sed
 necessaria; ceteroquin, idem esse & non
 es-

esse, foret statuendum. Neque hisce obstat, obligationis naturalis vim non modo ex simplici actionis notione, sed ab externis simul fortuitisque adjunctis sæpe proficisci (§. 60). Inde enim tantum consequitur, ut legis necessitas alia absoluta sit & simplex, alia tantum hypothetica; scilicet quoties eadem adfunt adjunctiones, necesse est illis easdem quoque leges indissolubili nexu cohærere.

Figuram triangulam tria habere latera absolute necessarium est, quia illa abesse omnino repugnat. Latera vero omnia trianguli esse æqualia necesse est tantum sub conditione si fuerit æquilaterum; nam salva manet trianguli essentia, etsi æquicrurum sit, vel scalenum. Pari ratione lex, *gloriam DEI non obscures*, absolute necessaria est, quia a nulla penitus conditione pendet: lex vero, *educa prolem*, necessaria est hypothetice, si prolem susceperis. Unde fit, ut conditionis quidem existentia sit fortuita, non autem legis. Contra, quoniam ex natura ultimæ voluntatis, utrum coram quinque, sex, aut septem testibus ea declaranda sit, nec absolute nec conditionate erui potest, lex, quæ jubet septem testes adhiberi, arbitraria est, atque contingens. Legum naturalium necessitatem optime perspexit CICERO: *Quod si tanta, inquit, potestas est stultorum sententiis, atque jussis, ut eorum suffragiis natura vertatur: cur non sanciant, ut, quæ mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis, & salutariibus*; de LL. 1, 16.

§. 126. Mirari jam non licet, naturæ Æternitas præscriptiones a sanioribus Philosophis tas. *æternas* etiam nominari; quod qui faciunt, non id quidem sibi propositum habent, ut doceant earum promulgationem divino numini esse coævam; quis enim nescit, hanc primum cum humano genere proditam fuisse? Sed ostendere volunt naturales leges ad DEI essentiam expressas esse atque naturam, easque ad æternæ & immutabilis veritatis enuntiata pertinere. Fuit sane in mente DEI ab omni æternitate boni malique distinctio, neque is veritates morales, ex propria & hominum essentia fluentes, alio sibi repræsentare poterat modo, quam quo nunc sunt, quum e contrario, quin diversa existere possit legum positivarum repræsentatio, nulla adpareat repugnantia.

Etiam si quadratum existat in tempore, tamen veritas illa mathematica, *Angulos quadrati omnes esse rectos*, quia necessaria est, atque immutabilis, æterna etiam dicitur; quid ergo vetat veritati morali, cui par competit necessitas & immutabilitas, æternitatem quoque tribuere, licet temporaria in nobis sit ejusdem cognitio? Sane providentiam, quæ cura est DEI pro creaturis, nemo negaverit esse æternam, quamvis actualis mundi gubernatio cœperit in tempore. Neque dicas cum BURLAMAQUIO II, V, §. 11, etiam leges positivas DEO fuisse ab æterno notas; nam, quum necessariæ hæ-

NON

non sint , sed fortuitæ , atque a liberrimo DEI decreto pendeant , haud opus est , eas concipere ut principio carentes ac fine. *Hunc*, inquit CICERO , *video fuisse sapientissimorum sententiam , legem neque hominum ingenio excogitatam , nec scitum aliquod esse populorum , sed æternum quiddam , quod universum mundum regeret - - - - -* *cujus vis non modo senior est quam ætas populorum , & civitatum , sed æqualis illius cælum atque terram tuentis & regentis DEI - - - -* *Quæ non tum denique incipit lex esse cum scripta est , sed tum cum orta est. Orta autem simul est cum mente divina ;* de LL. II , 4. *Consentiunt sacræ litteræ : In æternum omnia judicia justitiæ tuæ ;* *Psalms. 118 , v. 160.*

VI. Materie, quam tractant, intrinseca moralitas.

§. 127. Ut bonitas vel malitia actionum generatim in internam vel externam abit (§. 67) , ita moralitas , quæ bonitatem vel malitiam speciatim moralem designat (§. 62) , siquidem in ipsa actionis liberæ essentia rationem sufficientem habet , interna , si vero ab arbitrio entis alicujus intelligentis proficiscitur , *externa* nominatur. Itaque quatenus hominis atque actionum humanarum existentia a liberrima DEI voluntate pendeat (§. 100) , ea etiam ex parte illarum moralitas externa est sive subjectiva ; quia vero DEUS nec id , quod infinitæ suæ essentiæ necessario erat conveniens , prohibere , nec , quod eidem repugnabat , præcipere poterat (§. 123) , & ob hanc ipsam causam notas ac

mutationes essentielles, propter quas omnes actiones nostræ liberæ bonæ dicuntur vel malæ, ab iis sejungere, non magis subiectum erat libero DEI arbitrio & omnipotentia, quam rerum evertere proprietates atque essentias (§. cit.), eatenus istis actionibus intrinsicam seu objectivam moralitatem denegare foret perabsurdum. Ex his vero palam fit, objectum proprium, in quo leges naturales versantur, in interna moralitate reperiri.

Si quis ab altero rationem postulet, cur v. c. vetita sit hypocrisis, & ferat responsum, quia DEUS eam non vult, nondum acquiescet, sed scire adhuc cupiet hujus ipsius voluntatis causam, & tunc demum interrogare desinet, ubi intellexerit, fictam pietatem divini numinis essentia repugnare; liceat igitur ad mentis nostræ exilitatem verba accommodare. Actionum bonitas vel malitia radicalis, fundamentalis seu inchoata adest in signo antecedente omnem legem; quamvis illæ plenam, formalem, seu consummatam moralitatem in signo præceptum, vel vetitum consequente accipiant. Quare actiones nostræ liberæ non ideo tantum bonæ sunt quia præceptæ, malæ quia prohibita, sed illas DEUS quia bonas præcipere, & quia malas prohibere voluit. *Neque enim, ait CICERO, esse mens divina sine ratione potest, neque ratio divina non hanc vim in reâis prævisque sancendis habere, de LL. II, 4.* Igitur qui in ipsa materia, quam lex tractat, rationem esse negant, sed totam re-

petunt a legislatoris voluntate, ii affirmant pugnancia; cunctas scilicet leges esse positivas (§. 89), nullam naturalem (§. 93), & quia quod actioni est extrinsecum, id etiam contingens est & mutationi obnoxium, nullam immutabilem (§. 123), atque adeo arbitrarias esse rerum omnium essentias (§. 99). Longe aliter idem CICERO: *Quod laudabile bonum est, in se habeat, quod laudetur necesse est; ipsum enim bonum non est opinionibus, sed natura, de LL. 17.* Atque id aperte a Psalmista confirmatur, *Judicia, inquit, Domini vera justificata IN SEMETIPSIS. Ps. LVIII, 10.*

Cui ad-
versario-
rum argu-
menta
nullo mo-
do refra-
gantur.

§. 128. Nec est quod objiciant adversarii, peccare hominem varios actus exercentem, qui sine ullo malo a brutis patrantur; nullam porro in ipsa actione turpitudinem inesse ante legem positam, & ideo in orbem vitiosum circummagi scholasticos, quod nunc actionem bonam, quæ legi congruat, malam, quæ legi refragetur; nunc vero lege præceptam, quæ bona, prohibitam, quæ mala sit, definiant: immo admissa posteriore hac explicatione statui ab iis principium extrinsecum DEO prius aut coæternum, quod ipse in assignandis rerum formis sequi necesse habuerit. Primo enim dispar admodum est hominum, & brutorum natura: fiunt quidem in his motus physici & animales, liberi autem non fiunt, de quorum tamen proprietate modo unice quærimus: deus
cum

cum bona dicitur actio ; quæ legi consentanea est , mala , quæ a lege recedit ; id non illum sensum habet ; quasi actionum humanarum essentiæ a libera , & temporaria naturalis legis manifestatione omnem suam bonitatem vel malitiam hauserint ; sed quod lex naturæ præcipiens non aliud , quam quod in se bonum , prohibitoria nihil , nisi quod in se malum est , enuntiet (§. 82 , *Sch.* , §. 127 , *Sch.*) , ultima autem boni hujus vel mali ratio a consensione ducitur , vel dissentione actionis cum divina essentia atque natura (§. 99 , §. 125 ; *Sch.*) , quam libertati & voluntati præire animo concipimus. Falsum igitur est humanas actiones non subjici DEO , sed alteri externæ causæ.

Hæc præcipua sunt fundamenta , quibus usi sunt Pufendorffius , Coccejus & eorum sectæ , ut doctrinam Grotil & Scholasticorum , veluti monstruosam convellerent , sed irrito ; titi patet ; conatu. Quis enim ignorat , aliam esse actionis physicæ , aliam liberæ essentiam , & hinc diversas quoque earum mutationes ; sive consecraria esse debere. Nonne actionem bonam , quatenus a libertate proficiscitur , spes , voluptas , animi quies , malam vero metus , pœnitentia , tædium mentisque perturbatio comitantur (§. 94) ? Quæ consecraria , quoniam a solo motu physico fluere nequeunt , ad bonitatem vel malitiam moralem tantum pertinent. Nec quod secundo loco objectum est de lege

bonum efficiente vel malum, majoris est ponderis; est enim lex naturalis homini, quod naviganti pixis nautica, ambæ viam rectam ostendunt quidem, non autem faciunt. Accedit eo, quod quamvis regula instrumentum sit ad lineas rectas facile scribendas comparatum; inde tamen non sequatur, ut nulla antea fuerit linea recta, quam aliquod eutygrammum existeret. Denique, qui bonum vel malum cogitat ante omnem legem, tam parum DEO principium statuit coæternum, quam qui duo & tria docet esse æqualia quinque, ante liberum DEI decretum; una enim veritas æque necessaria est ac altera. Cæterum putat CAR. GOTT. MULLERUS *Ph. Pr. Un.* §. 27, a Pufendorffio non negari intrinsecam moralitatem, sed extrinsecam tantum demonstrari. Quod sane foret verisimilius, nisi *falsam & ineptam* vocasset Grotii sententiam *Er. Scand. V, 7*, & hoc nomine tam acrem atque acerbam dicam scripsisset in scholasticos Doctores.

VII Conceptus pro parte possibilis abstrahendo a prima rerum causa.

§. 129. Quamquam omnium possibilium fons atque origo a DEO repeti debet, ut nec rerum essentia & naturæ, nec quæ de iis traduntur disciplina, possibiles essent, nisi idem existeret (§. 99), tamen nulla dubitatio est, quin cælum, terram, semetipsos, aliasque creaturas intueri, ac quibus hæc omnia utantur mechanicis regulis, investigare ac concipere queant homines, etsi non cogitent de suprema quadam causa (§. cit. & §. 28). Eadem igitur ratione, ii, qui in ignorantia

tia

tia vel errore versantur summi numinis , aut ab illo abstrahunt , nihilominus obligationem aliquam & legem moralem tam erga se ipsos , quam erga alios intelligere apti sunt , si modo in proprias facultates , nec non in actionum liberarum naturam inquirere , tum quænam cum durabili voluptate , animi acumine & oblectatione , sanitate , spe , benevolentia aliorum , quænam contra cum tædio , ægritudine , imbecillitate , tristi recordatione , metu , egestate , morbis mutisque odiis necessario connexæ sint , perspicere atque experiiri velint. Unde fit , ut firma semper adsint & perpetua quædam vincula , quibus insipientes , licet frenum mordeant , etiam in mortali hac vita compescantur.

Id est , quod etiam contendit HUGO GROTIUS de I. B. & P. in prol. §. XI , cum ait : *Et hæc quidem , quæ jam diximus (de societatis custodia) , locum aliquem haberent , etiam si daremus , quod sine summo scelere dari nequit , non esse DEUM , aut non curari ab eo negotia humana.* Quæ verba COCCEJUS ad hunc locum , aliique commentatores inepte cavillantur , & parum acute. Non enim Grotius DEI essentiam , aut voluntatem a legibus naturæ excludit (§. 100 , *Sch.*) ; sed fingere aliquid voluit docendi causa ; ut si quis *daret* , hoc est , diceret , non esse DEUM , aut nullam curam habere pro creaturis ; propterea non putaret , se omnes morum regulas pedibus impune conculcare
pos-

posse, Quia sicut in mathesi, physica, medicina leges mechanicæ noscuntur ex contemplatione naturæ; ita ex eodem fonte leges quasdam morales haurire licet, quemadmodum id Sinesium atque Spinozæ exemplo confirmari solet. *Urgent rustice sane*, ut verba CICERONIS mea faciam; *negant enim posse* (concipi naturales leges sine naturæ auctore) & *in eo persistant*. Hoc verbum quid valeat, non vident. Cum enim quærimus si possint (se subtrahere DEO), quid facturi sint? Non quærimus possintne (se subtrahere), sed tamquam tormenta quædam adhibemus, ut si responderint se impunitate proposita facturos, quod expediat, facinorosos se esse fateantur. Si negent, omnia turpia PER SEIPSA fugienda esse concedant. *Off. III, 9.*

Quidquid
alii oblo-
quantur.

§. 130. Occurramus modo eorum argumentis, qui averſa cogitatione a DEO, nullam proſus obligationi naturali locum fore putant. Abesse enim ajunt, qui urgeat legis custodiam, & non obediētes cogat. Hinc morum præcepta consilia potius esse quam leges, quæ nullæ sint sanctionis defectu; denique omnes actiones nostras tunc a sola determinari utilitate, cui tamen quilibet facile renuntiare possit. Sed jam alibi vidimus, etiam ab externis DEI & hominum legibus abesse coactionem physicam (§. 99, Sch.), bona autem ipsa vel mala cum actionibus nostris necessario copulata (§. 125) agendi vel non agendi necessitatem moralem

lem imponere, & legem (§. 71, *Seb.*) a consilio plane diversam (§. 75, *Seb.*). Nec minus ostensum est a nobis, obligationem nullo modo cum vera utilitate pugnare (§. 188, *Seb.*), quicumque enim huic renuntiat, aut præmii jacturam patitur, aut pœnæ sensum nequit effugere. Qui vero naturales hæc consecutiones præmiorum vel pœnarum numero eximunt; næ illi verborum quærunt non rerum discrimina, & humanæ sanctionis idea conturbati in vocum controversiam delabuntur.

Primum naturalis legis fundamentum in agnitione summi numinis positum esse, nemo magis inculcavit quam LEIBNITIUS in *Ep. Cens. ad Puf.* §. VI; at ipse fatetur tamen, *dari aliquem infimum Juris naturæ gradum, qui etiam apud atheum valere possit. l. c.* Quo circa probe observatum est a SENECA, *malitiam ipsam maximam partem veneni sui bibere*; *Ep. 81.* Contra magnum præmium esse felicitis animi immotam tranquillitatem; de *Ira II, C. 13.* Idem suggerunt plura sacri codicis loca, quando nos docent; *Legum custodiam longitudinem dierum, & annos vitæ, & pacem apponere*; *Prov. III, 1.* *Qui vero sibi invidet nihil esse illo nequius, & hanc redditionem esse malitiæ illius*; *Eccl. XIV, 6.* Quemadmodum igitur pœna gladii in homicidas statuta vera pœna est, quia legis contemptorem morte destruit immatura; ita etiam illa mors erit vera pœna, quæ luxum

con-

consequitur, aut intemperantiam, aut iram, aut alios vehementiores affectus. Semper enim, ut ait CICERO, *illum ulciscuntur mores sui*; ad *Attic.* IX, Ep. 12. Dices fortasse; placere agenti has consecutiones, & porro pœnas non esse! Quid enim si tædio vitæ quis delinquat, ut occidatur? Quid si eo venerit dementia, ut damnatione se delectari effutiat? Malum tamquam motivum vel in hac, vel in futura vita cum actione libera conjunctum, etsi quis sibi ut bonum repræsentat, non minus erit pœna, quam circulus est rotundus, licet alicui stulto quadratus videatur.

Plena tamen earum functionum non habetur sine vita futura.

§. 131. Ast illi quoque immane quantum falluntur, qui in hisce actionum consecutionibus integram quærunt naturalium legum functionem, remota consideratione vitæ futuræ. Nec enim interna præmia vel pœnæ omnem probitatis aut malitiæ gradum adæquant. Immo non ita raro officii sui memores ferrea premit vitæ fors, si vero secunda obveniunt, qui nullum habent cum ratione commercium (§. 94), ac proin a divinis perfectionibus alienum esset, obediens cum refractariis confundere & cunctos pari modo dimetiri (§. cit.). Ex quo intelligitur, deficientem in hac vita bene vel male factorum compensationem nos post mortem præstolari oportere. Id ipsum arguet simplex & individua mentis natura, & ad novas semper acquirendas perfectiones capacitas, quæ dotes frustra a DEO nobis essent tributæ,

tæ, si animus a corpore separatus funditus interiret. Certe tunc manca admodum forent divinæ voluntatis præcepta, nullumque tam magnum excogitari officium posset, cui durationem propriæ existentiaë quisquam teneretur postferre.

Pugnat secum ipso Pufendorffius, cum legem naturæ concipi posse negat sine DEO, qui sua providentia omnia moderetur & aliquid boni vel mali in nos velit, & possit conferre; *Off. H. & C. Lib. I, c. IV, §. 4*; & finem tamen nostræ disciplinæ arbitrio hujus vitæ circumscribit. *Præfat. §. VI*. Quæ enim tunc speranda præmia, vel quæ metuendæ forent pœnæ? Certe externa fortuitaque commoda aut calamitates generatim huc reduci nequeunt; siquidem malis bene, & bonis male esse sæpius experimur. Ita prospere omnia successerunt Sullæ, qui patriam fere evertit, & innumeros concives suos crudelissime trucidavit. Quocirca Pufendorffium merito notavit LEIBNITIUS *Ep. Cens. ad Puf. §. 6*. ostendens, futuræ vitæ curam cum providentia divina esse inseparabiliter connexam, quam qui omittit, scientiam pulcherrima sui parte multet, & non pauca hujus quoque vitæ officia tollat: *Dempto*, inquit CICERO, *augurio futurorum, quis tam amens esset, qui semper in laboribus & periculis viveret?* I. *Tusc.* 15. Nec satis est, ut putat BARBEYRACIUS *ad Puf. l. c.* ad DEI voluntatem provocare; quin potius omnes obligationis naturalis incidit nervos, qui necessitatem moralem fingit ea agendi, quæ
nos

nos destruant sine alia majoris boni futuræ retributione (§. 21 , *Sch.* 4 , §. 71) , atque hoc sensu scripsit APOSTOLUS : *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus , miserabiliores sumus omnibus hominibus* , I. Corinth. XV , 19. Ind fit , ut connato quisque agatur sensu , & desiderio alterius vitæ (§. 19 ; *Sch.*) , & ut communis insit gentibus persuasio animam cum corpore non deleri. Cujus persuasionis quum summa sit necessitas , ne homines ab officio tam facile removeantur ; quidnam cogitari posset DEO injuriosius , quam eum ad fines suæ voluntatis assequendos illusionem indigere ? Sed rei huic toti revelatio plenam affudit lucem ; *Math.* X , 28 , & XXII , 31. Quapropter imperfectum adornant legis naturalis systema , qui vel solam naturam considerant sine DEO (§. 7 , & §. 129) , aut qui ad solum DEI se referunt arbitrium prætermittunt naturam (§. 129) .

VIII. Uni-
versalitas.

§. 132. Illud porro naturæ legibus præter ceteras præcipuum est , ut pateant quam latissime. Nam quum eadem ab humana essentia atque natura vel simpliciter , vel cum certis quibusdam circumstantiis considerata , suam proxime trahant originem (§. 100) , sequitur , ut omnes homines rationis participes legibus iis simpliciter subjecti sint , quæ absolute necessariæ sunt ; quarum vero necessitas tantum hypothetica est , omnes homines , qui in eadem conditione ac statu versantur (§. 60 , §. 125) , sed & ad quasvis
actio-

actiones nostras liberas pertinent leges naturales, si quidem nulla excogitari hujusmodi actio potest sine aliqua intrinseca bonitate vel malitia morali, in qua etiam naturalia vincula & normæ suum habent fundamentum (§. 93). Quæ igitur, neglectis animi motibus, de actionibus tantum externis instituitur tractatio, illa omnes disciplinæ nostræ partes complexu suo haud continet,

Hinc est, quod leges naturales dicuntur *uniformes*, *adæquatæ* & tam subjective quam objective *universales*; *Jus commune hominum*, L. 6. pr. de J. & J.; *Jus & fas gentium*, L. 9, eod. Nec enim, ut ait CICERO, *erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed omnes gentes & omni tempore una lex, & sempiterna, & immutabilis continebit*, apud Laurent. Inst. Div. VIII, c. 6. Leges humanæ ita scribi non possunt, ut omnes casus comprehendant, sed de eo feruntur quod plerumque fit, L. 7. sqq. de LL. Ast lex naturalis ad quasvis etiam rarissimas species pertinet: nam *nulla vitæ pars, neque publicis, neque privatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, carere officio potest*; CICER. Offic. I, 2. Quare si ars nostra in toto suo ambitu tradi velit, *Compositum Jus, susque animi sanctique recessus*, Pers. Sat. II, v. 73, ab ea nequeunt separari. V. L. I. §. I. D. de J. & J.

IX. Sanctitas atque X. Facilitas.

§. 133. *Sanctum* id dicitur, quod a violatione, modo quodam præstantiore defensum, atque munitum est; *facile* autem, cujus efficiendi quum fortia sint momenta & causæ, ab eo tamen nullis tam gravibus impedimentis revocamur; jam vero una ex parte leges naturales adeo pœnis sunt munitæ, ut quoniam hæ nullo tempore, nulloque loco a quopiam evitari possunt, inobedientes in statum veri tædii (§. 81 *Seb.*, n. 5, & §. 25), sive in infelicitatem incidere oporteat: altera autem ex parte, sensus internus, rationis lumen totaque nostra ac rerum natura nos perpetuo invitant ad earum cultum, quem qui adhibent, statum gaudii durabilis, sive illam, quæ hic esse potest, felicitatem attingunt (§. 80 *Seb.*, §. 25). Hæc quum ita sint, dubitari profecto nequit, quin in legibus naturæ & summa sanctitas, & maxima facilitas eluceat.

Non igitur audiendi sunt, qui legum semitam per se arduam, & quasi imperviam esse volunt, quæ quidem aperta est & simplex & directa, ast *ex cupiditatibus*, ut præclare observat CICERO, *odia, dissidia, discordiæ, seditiones, bella nascuntur, nec hæ se se foris solum jactant - - - sed intus etiam in animis inclusæ inter se dissident atque discordant. Ex quo vitam amarissimam necesse est effici: ut sapiens solum naturæ finibus contentus sine ægritudine possit, & sine metu vivere; de Fin. Bon. I, 13.* Hoc idem nos docet divinæ veritatis

cf.

effatum: *Jugum meum suave est, & onus meum leve*; *Math. XI, 30.* Unde quæ sæpe se se offert in via recta difficultas, ea naturalis non est, sed adventitia. Legis naturalis sanctitatem quod attinet, illam breviter enuntiat Psalmista, *Psal. XVIII, 8: Lex Domini immaculata* (nullam ferens violationem impune) *convertens animas*; quippe quæ actiones nostras omnes, etiam interiores dirigit.

§. 134. Accedant modo legum naturalium inficiatores, & dicant: I. Jurâ sibi homines invenisse pro utilitate; adeoque Refelluntur hostes nostræ discipline. II. illa pro morum & temporum vicibus sæpe apud eosdem immutari, III. Tantum cuique juris esse, quantum potentia, cui resisti nequeat, IV. nec quempiam a propria obligari posse ratione, quo nomine V. non veniant nisi præconceptæ singulorum opiniones, & raro inter se congruentes. Clamitent alii VI. post Adami lapsum defecisse rationis lumen, & hinc VII. non paucas gentes summa legum, quæ naturalibus accensentur, ignorantia laborare: igitur Jus naturale esse nullum. Enimvero hæc omnia satis supra sunt explosa. Nonne ad veram atque durabilem utilitatem nos natura ipsa ducit (§. 118 *Sch.*, §. 133), cujus leges, uti numquam mutantur (§. 65, §. 123, sq), ita falsum est a physica potentia illas accipere mensuram (§. 83, §. 118 *Sch.*). Porro obligatio naturalis solum efficitur ratione ob-

objectiva (§. 93), quam ratio subjectivā tunc demum declarat, cum recta est atque a præjudiciis vacua (§. 103, sq.). Denique nec Adami peccato abalienata fuit penitus humana mens (§. 108); qui vero objiciuntur populorum errores, ex abusu intellectus, & vincibili attentionis defectu proveniunt (§. 121).

Septem hæc sunt oppugnationum genera, quæ morum regulis ratione tantum cognitæ illata sunt. Ac primum quidem & secundum CARNEADES *apud Lactant. I. D. V. 16*; tertium HOBBSIUS *de Civ. I. §. 14*; quartum RACHELIUS *in prol. ad Off. Cicer.*; quintum MACHIAVELLUS *Disp. I. I. c. 1*; sextum HOMBERG. *Diss. de Leg. ater.*; septimum Auctor *Dub. J. N. Præf. §. 17. & C. IV. §. 32. sqq.* præcipue adornarunt, quasi verum esset illud Poetæ:

Nec natura potest justo secernere iniquum.
HORAT. I. Sat. III, v. 113.

Sed facile ex positæ antea principiis propulsantur. Quamquam enim nos sæpe transversum agat falsa ac vere imitatrix voluptas, *cujus blanditiis corrupti, quæ natura bona sunt, quia dulcedine hæc & scabie carent, non cernimus satis,* CICERO *de LL. 17*; quam parum tamen certæ esse desinunt aliarum artium regulæ, quod non raro ab iis artifices deflectant, tam parum communes hominum leges propter perversam multorum indolem negitari possunt. *Quæ autem ratio non comita-*

tem, non benignitatem, non gratum animum;
 & beneficii memorem diligit? Quæ superbos,
 quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos
 non aspernatur, non odit? CICER. de LL.
 I, 11.





CAPUT QUARTUM.

D E

JURIBUS HOMINUM UNIVERSALIBUS, ET EO,
 QUOD INDE FLUIT, ACTIONUM
 MORALIUM DISCRIMINE.

- | | |
|--|---|
| 135. <i>Exiſtunt naturalia hominum jura.</i> | 151. <i>Jus deſenſionis.</i> |
| 136. <i>Connata & univerſalia.</i> | 152. <i>Jus violentiæ.</i> |
| 137. <i>Quæ ſunt æqualia.</i> | 153. <i>Quid a læſioni tantum ducitur.</i> |
| 138. <i>Sine prærogativa.</i> | 154. <i>Non vero ex nuda obligatione erga ſe.</i> |
| 139. <i>Ex quibus conſtituitur ſtatus hominum moralis.</i> | 155. <i>Quæ obligatio & jus perfectum, vel imperfectum.</i> |
| 140. <i>Naturaliter æqualis.</i> | 156. <i>Unde ducatur duplex illius juris forma.</i> |
| 141. <i>Imperium quid?</i> | 157. <i>Et quibus enuntiatis contineatur.</i> |
| 142. <i>Inter homines naturaliter exultat.</i> | 158. <i>Jus commune & proprium.</i> |
| 143. <i>Suum hominis deſinitur.</i> | 159. <i>Pax & bellum deſinitur.</i> |
| 144. <i>Ejus partes.</i> | 160. <i>Status naturæ eſt ſtatus pacis.</i> |
| 145. <i>Alienum meum non eſt.</i> | 161. <i>Juſtum & honeſtum latiffime.</i> |
| 146. <i>Læſio quid?</i> | 162. <i>Pium, tum juſtum, & honeſtum minus late.</i> |
| 147. <i>Tum injuria & infortunium.</i> | 163. <i>Juſtum, æquum, honeſtum & decorum ſtriſſime.</i> |
| 148. <i>Jus hominis connatum ſe conſervandi.</i> | 164. |
| 149. <i>Et hinc parandi res neceſſarias.</i> | |
| 150. <i>Tum jus ſecuritatis.</i> | |

164. *Virtus, & vitium*
quid.
165. *Quae varia utriusque*
genera.
166. *Iustitia universalis,*
& *particularis.*
167. *Expletrix & attributrix.*
168. *Persona, & actionis.*
169. *Quisque praesumendus*
est *justus.*



§. 135.

Existunt
naturalia
hominum
jura.

IN notione cujuslibet obligationis, & legis jus aliquod inesse, seu facultatem moralem supra (§. 85) demonstravimus; cognita porro legum naturalium existentia, insanum foret jura naturalia, quæ cum illis indivulso cohærent nexu, in dubium revocare: igitur sicuti omnes homines, quod lege naturali præceptum faciendi, & quod vetitum est omittendi, jura habent stricte talia; ita, quæ eadem lege permittuntur (§. 114, §. 63), singuli ex sua voluntate determinandi libertatem moralem a natura acceperunt, *sive Jus permissivum* (§. 84).

I. Adpetentia effrænata ejus, quod lubet; sine boni veri, aut veri mali discrimine, est *licentia*, SALLUST. fr. 14, a libertate morali probe secernenda (§. 83). II. Nunc definitio libertatis data a Florentino in *L. 4. D. de stat. hom.*, quod sit: *Naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi siquid vi, aut jure prohibetur*: intelligi, & explicari potest. Patet enim primo, eam esse a natura, dein non nisi ad actiones physice, & moraliter possibiles porrigi, denique non esse sermonem de libertate mentis, seu interna (§. 44), sed de alia, quæ externa nuncupatur. Ceterum per vim non jus auferri, sed juris exercitium, infra latius ostendetur.

III,

III. Jura stricte talia pendent ab obligatione, vim igitur suam non exerunt in iis, qui nondum compotes sunt usus rationis (§. 72); ast jura permissiva etiam de infantibus, ac dementibus quodammodo enuntiari possunt (§. 55). V. L. 7. D. de stat. hom., L. 3. §. 2, D. de injur.

§. 136. Sunt vero tam obligationes, quam jura naturalia, vel *absoluta & connata*, si ex natura ipsa humana generatim accepta ducantur; vel *hypothetica, contracta*, atque adsumpta, si simul ab alia peculiari affectione, aut quodam interveniente facto pendeant (§. 10, 132). Priora, quum in homines statim cadant, quia sunt homines, simpliciter *universalia* esse intelligantur; ast posteriora, quoniam non a communi humanitate, sed ab alia simul ulteriore ratione veniunt, quodam sensu vocantur *singularia* (§. 76).

Connata
& univer-
salia.

I. Sunt qui cum Ictis Romanis facultatem agendi, quod bonum est, seu Jus naturale aliud faciunt *commune* brutis, si rationem sufficientem habet in parte hominis animali; aliud hominis *proprium*, si ex natura rationali ducatur (§. 105, §. 70); WOLF. *hor. subces.* 1731, *trim. vern.* n. 2; DARIUS *Obs.* III, §. 1-6. Sed hi ipsi jus tunc per figuram & improprie accipi fatentur: & ideo GROTIUS hocce discrimen *usum vix ullum habere* tradit de J. B. & P. I, I, II. Scilicet inde saltem verus scopus, ad quem natura determinavit appetitum, qui in brutis non

ita corruptus est, uberius explanatur; KEUFEL *Exerc. ad GROT.* §. 14. II. Jura naturalia hypothetica ea ratione tamen sunt universalia, quod cuilibet homini sub eadem conditione spectato competant. III. Ponas jura, quibus quis propter hoc ipsum non fruatur, quod homo est sub certa saltem conditione consideratus, & illa erunt mere positiva. Cf. MATTH. XVIII, 18.

Quæ sunt
æqualia.

§. 137. Posita eadem ratione sufficiente eandem existere consecutionem necesse est; quum igitur in communi hominis essentia, atque natura, quæ in omnibus eadem est (§. 11), idonea & sufficiens jurium connatorum ratio reperiatur (§. 135), satis inde liquet: jura connata tam stricte talia, quam permissiva in quolibet homine eadem esse debere, & proin nemini absolute spectato majorem, vel minorem jurium numerum, aut gradum competere posse, verum ista in singulis ejusdem esse qualitatis & quantitatis, atque adeo tamquam prorsus similia & æqualia & inter se congrua recte cogitari.

* Nimirum rei determinatio, seu nota, per quam ea a reliquis distinguitur, si quidem verbis satis intelligi, seu distincte cognosci potest sine alio adsumpto, *Qualitas*: si non potest, *Quantitas* nominatur. Porro ab iisdem qualitibus *Similitudo*, ab iisdem quantitibus *Æqualitas*, ex conjunctione vero earundem qualitatum, & quantitatum

Con-

Congruentia arcessitur ; BAUMGART. *metaph.* §. 69, *sqq.* ; DARIES *L. J. un.* §. 9, *Sch. II.* Quare non satis accuratus est KOELERUS , dum putat inter homines similitudinem unice respici , non quantum , & fingi æqualitatem , quod ignoretur inæqualitas , *Exerc.* §. 8 , 90 ; veram enim æqualitatem de iis posse cogitari , ex data hujus definitione elucet.

§. 138. *Prærogativam* vocant *Jus unius* Sine prærogativa. *præcipuum* , seu quo quis præ aliis pari ceteroquin jure utentibus gaudet ; *Præcedentia* vero dicitur , *Jus prioritatis in ordine a pluribus simul observando* : quum in communi natura nulla occurrat jurium , & obligationum diversitas ; sed quod uni competit , idem ipsum & alteri competere necesse sit (§. 137) , id quisque facile in animum inducet suum , inter homines qua homines & prærogativam , & præcedentiam exulare.

* Ita sumitur prærogativa in *L. II. D. de adm. & per. tut.* , tum in *L. ult. §. 25, D. de mun. & hon.* ac passim. Quare si ex duobus fratribus alter de binis portionibus ceteroquin æqualibus unam possit eligere , habet prærogativam , quod si etiam primus ei locus in patris comitatu adsignetur , præcedentiam obtinet. Nec dicas cum DARIO I. *J. un.* §. 956* , eam esse loci , non juris prærogativam ; qui enim priorem locum petere , & tenere potest lege non repugnante , eum etiam jure prioris loci gaudere manifestum est (§. 84).

Ex quibus
constatur
status ho-
minum
moralis.

§. 139. Status hominum moralem ex determinationibus, quæ ad eorum libertatem referuntur, existere supra vidimus (§. 55), atqui non modo jura nostra omnia harum determinationum numero sunt comprehensa (§. 84), sed nec ullæ reperiri hujusmodi determinatio potest, cum qua non aliquod quodammodo cohæreret jus, seu facultas moralis, quod bonum erat scilicet agendi, & aspernandi contrarium (§. 60, §. 85); igitur haud inepta est altera status moralis definitio, quod is sit: *Complexus jurium, quibus homines actu sunt instructi.*

Status moralis generatim in §. 55 fuit definitus, hic vero notio illius datur strictior, & propria magis nostræ disciplinæ; ideo in L. 1. D. de Cap. min. capitis deminutio idem est, ac status permutatio, & qui nullum jus habet, statum habere negatur; L. 3. §. f., & L. 4, D. eod. II. Quoniam jus est qualitas, seu attributum personæ (§. 84), etiam homo tunc tantum personæ venit nomine, si cum suis juribus consideretur; cf. HEIN. El. Inst. Jur. Civ. LXXV; his itaque demtis etiam persona evanescit; cf. Titt. Instit. de jure person., & D. de stat. hom.

Naturaliter æqualis.

§. 140. Ex data modo status moralis definitione, & ex eo, quod paulo ante est ostensum, jura primigenia in omnibus hominibus prorsus æqualia reperiri (§. 135),
ma-

manifesto coligitur, non errare illos, qui tradunt, homines absolute & ab origine spectatos, in *statu omnimodæ equalitatis vivere*, in quo nec, quod uni vetitum, alteri permissum, nec, quod uni permissum est, reliquis prohibitum, aut præceptum dici possit: quæ enim hodie existunt innumeræ dissimilitudines, & inæqualitates, eæ vel hypotheticæ sunt, & adscititiæ, vel tantum physicæ.

I. Verissimum itaque est in statu naturali, quod quis jure ab altero sibi fieri, vel non fieri petit, & idem ab ipso alios sibi faciendum, vel non faciendum jure postulare. II. Infanum ita fuit Hobbesii ratiocinium, scribentis *de Cive* I, §. 3: *Æquales sunt, qui æqualia contra se invicem possunt, at qui maxima possunt nimirum occidere, æqualia possunt. Sunt igitur omnes homines natura inter se æquales.* Primo enim falsum est pares esse omnium ad se invicem occidendum vires: deinde, si pares essent, æqualitas quidem existeret physica, sed non moralis; tum vero plurimis belluis non modo essemus æquales, sed multis quoque inferiores; denique fateatur Hobbesius inæqualitatem, quæ nunc est, lege positiva introductam esse *l. c.*; non ergo æqualitas fuit in occidendi potentia, quippe quæ etiam hodie perdurat. III. Re-tius Icti Romani, *Quod jus naturæ attinet, omnes homines esse æquales*, pronuntiarunt; *L. 32, D. de R. J. Quod Jure naturali omnes liberi nascerentur, & uno naturali nomine homines adpellarentur*; *L. 4, D. de J.*

§ 7. Cujus rei non is est sensus, quod iisdem partibus essentialibus constemus, mente scilicet & corpore, uti putat HEINEC. *El. 7. N. II*, 5; sed quod iisdem præditi simus juribus. Et ita quoque accipiendum illud Plauti: *Tam ego homo sum, quam tu: Afin. II*, sc. *IV*, v. 82. Equidem a nativitate, sexu, & ætate diversa profluere possunt jura (§. 55), ast tunc non tam communis natura, quam peculiare affectiones respiciuntur. Sed nec indolis & ingenii varietas dictis refragatur, ea enim ad humanam essentiam non pertinet, sed ad characteres internos mutabiles, vel etiam ad determinaciones externas (§. 51).

Imperium
quid?

§. 141. Jus actiones liberas Entis intelligentis pro suo arbitrio ad certum quemdam finem determinandi, Potestas, aut *Imperium* nuncupatur. Contra obligatio hujusmodi actiones voluntati illius, qui imperio pollet, attemperandi *Subjectionem* constituit. Ex quo quinam *Imperantis*, seu superioris; quinam *Subjecti*, seu inferioris veniat nomine, facile colligitur.

Id in communi hominum natura positum est, atque infixum, ut quisque actiones suas ad nutum divinæ voluntatis componere teneatur (§. 114); omnes igitur eatenus in naturali, ac necessaria subjectione vivimus, atque a communi Dei superioris nostri imperio, & potestate omnino pendemus. Latiore significatione, & de rebus inanimatis enuntiavit CICERO *Imperium, sine quo, inquit,*

quit, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Nam & hic DEO paret, & huic obediunt maria terraque, & hominum vita, iustis supremæ legis obtemperat; de LL. III, I. Ceterum sicut divinæ non conveniret sapientiæ aliquid imperare sine ullo fine (§. 58), ita nec homines aliquod imperium adeptos a præstitutis finibus discedere posse, clarius infra patebit.

§. 142. Quandoquidem naturaliter eadem omnium est libertas moralis (§. 137), nullus humano imperio, ac subjectioni in eo statu esse locus potest, quo enim jure unus alteri, ut aliquid faceret, vel non faceret, imperare vellet, eodem jure hic vicissim illius posset actiones moderari, & ab eodem petere, ut suum se in agendo judicium sequi patiatur; nisi igitur quis jura fingere cupiat repugnantia, & omni effectu vacua, is admittere debet, quemlibet hominem, durante naturali statu, etiam jure libertatis a subjectione, seu *independentiæ*, quam vocant, ab *cujusvis alterius hominis arbitrio gaudere*.

Inter homines naturaliter exulat.

I. Igitur in statu naturali quilibet homo imperium, & potestatem in se ipsum habet (v. §. 50, Sch.); & suum in agendo sequi judicium potest. II. Libertas a subjectione, seu imperio, in arctiori significatione accipitur, quam libertas externa supra generatim (§. 135) definita; etsi enim quis suo
fa-

facto certis renuntiaret juribus permissivis, dummodo alterius non fiat subditus, vivere tamen dicitur in statu libertatis. III. Immo vero etsi quælibet prærogativa aliquam inducat inæqualitatem (§. 138), tamen, nisi prærogativa sit imperium, & libertatem a subjectione tollat, non videtur naturali æqualitati, strictius scilicet sumptæ, derogare; & porro ii dicuntur æquales, quorum alter ab alterius potestate, & imperio liber est. IV. Ceterum quamvis status naturalis sit status libertatis, non tamen vicissim omnis status libertatis est etiam mere naturalis, salva enim libertate multa accedere possunt jura adventitia.

Suum ho-
minis de-
finitur.

§. 143. Bona, perfectiones, atque adeo jura omnia, quæ in relatione ad quamdam personam determinata sunt, vel, ut alii loqui malunt, quibus eadem jamjam instructa est, *Suum* ipsius constituunt; quia vero perfectionum & jurium genera alia data sunt a natura, alia factò primum comparantur (§. 14, §. 136), etiam *Suum* in *connatum* & *adquisitum* recte distribuitur, & inde quid & quotuplex sit *meum*, *tuum*, *nostrum*, *vestrum*, *alienum*, facile est intellectu. *Suum* autem a *Dignitate* oportet discernere ac *merito*, quod scilicet in aliquo determinatum non est, sed eidem congruum esse judicatur.

* I. Quid *Suum* sit, multi per partes enumerare maluerunt, quam definire. Sed plena
nama

nam ejus vocis notionem efformarunt KOE-
LERUS *Exercit.* §. 147 ; tum SCHIERSCH-
MIDIUS *El. J. N.* §. 244 ; & DARIESIUS *I.*
J. Un. §. 277, & 327 , quos sumus secuti.
II. Quoniam ex eo, quod fieri aliquid & esse
potest , non recte concluditur id etiam esse ;
ideo , quæ ratione existentiae in aliquo deter-
minata non sunt , etsi determinari , seu ad-
quiri possint , nomine Sui non veniunt. *V. L.*
5 , & *L. 213* , *D. V. S. III.* Quare SUUM
proprie hic non vocatur id , quo quis dignus
est ; sed *Dignitas æq̄a & meritum* , quod scili-
cet *congruum & conveniens* esse consetur ali-
cui personæ , *L. 16* , §. *f. de Castr. pecul.* ; *L. 22* ,
§. *1. D. Inoff. test.* ; *L. 2. D. de his , qui in te-*
stam. del. ; *QUINTILIAN. Decl.* 329. Etsi
meritum bonum BAUMGARTEN nominet
SUUM , scilicet ethicum ; *Eth. Phil.* §. 316.

§. 144. Ex his autem perspicuum est , ^{Ejus par-}
corpus , membra , sanitatem (§. 12 , 13) , ^{tes.}
dein animam , & singulas ejus facultates
(§. 16 , sqq.) , tum æqualitatem (§. 140) ,
& libertatem ab aliorum hominum impe-
rio (§. 142) , ceteraque cum his conne-
xa jura ad suum cujusvis naturale perti-
nere ; quibus modis autem homines ali-
quid , quod in eorum essentia & natura
sufficientem rationem non habet , tamen
suum facere , & novas perfectiones acqui-
rere possint , infra ostendetur.

I. Etiam GROTIUS , *suum* quod sit , exem-
plis declaravit : *Natura* , inquit , *hominis suum*
est vita , . . . *corpus* , *membra* , *fama* , *hō-*
nor ,

nor, actiones propriæ: L. II. de J. B. & P. c. 17, §. 2. Ex quo patet naturaliter quemlibet hominem esse sui juris, L. 50, pr. D. de leg. 3; non autem juris alieni, L. 1. D. de his, qui sui vel al. II. Nostrum definit DARIESIUS: Jam quod obligationi nostræ convenienter, seu quod pro arbitrio nostro ad nostram dirigere possimus felicitatem, jam vero id, quod statum, in quo sumus constituit, Obs. LIV. §. 1, & 15, scilicet prior definitio est nominalis, altera realis.

Alienum
meum
non est.

§. 145. Illud porro est manifestissimum, quod totum alienum est, illud ipsum esse meum, seu quod totum meum est, pariter esse alienum nullo modo posse: si enim contradictionem vocamus, idem de eadem re affirmare simul & negare: quoniam, qui aliquid penitus alienum asserit, eo ipso suum non esse fatetur; certe si suum id tamen esse sibi persuaderet, incideret in repugnantia: nihil igitur est, cur de veritate hujus fundamenti dubitemus, quo sublato, etiam libertas hominum moralis antea stabilita plane corrueret.

Nemo certe potest, quod alienum esse credit, eodem tempore & respectu, etiam credere, alienum non esse: Contra naturam quippe est, observante ULPIANO, ut cum ego aliquid teneam, tu quoque tenere videaris; L. 3, §. 5, de retin. vel omit. poss. Equidem nullam difficultatem habet totum aliquid partim tuum, & partim meum esse; aut idem
tuum

tuum esse penitus & adhuc meum, profectio est absurdum. V. L. 5, §. f. D. Comod.

§. 146. Innumeræ sunt causæ, quæ, ^{Læsiæ} quod nostrum est, deminuere, corrumpere, ^{quid,} re atque destruere possunt, atque hæ nobis nocere, nos turbare, violare, & lædere generatim dicuntur, illa autem noxa, turbatio, & violatio, quæ ab homine in alienum involante proficiscitur, proprie *Læsi* nuncupatur; ad quam porro significationem spectat vulgata læsionis definitio, quod sit *Actio*, quæ suo alterius repugnat.

I. Igitur non tantum homo sibi nocere, se lædere, v. L. 9. D. de J. & F. J., vitam destruere, dein affectibus turbari posse intelligitur, sed etiam animalia, immo & tempestates, quod nostrum est corrumpere ac violare sunt idonea. II. Præter eam grammaticam læsionis significationem est & alia moralis latissime patens, qua quælibet legis transgressio per læsionem indicatur. V. KOELER. *Exerc.* §. 764; DARIUS I. I. U. § 322, & *Obs.* LIV, §. 4, quo sensu etiam suum alicujus ethicum (§. 143, *sch.* III.) lædi potest. III. Communiter vero læsiō accipitur pro juris alieni violatione: & hinc PUFENDORFFIO lædere est: *Noxam inferre*, de Off. I. c. VI, §. 2; KOELERO: *Turbare alterum in eo quod ejus est*, *Exerc.*, §. 767; WOLFFIO: *Agere id quod alter vel status ejus externus redditur imperfeclior*, J. N. Tom. I. §. 669; HEINECCIO: *Alterum reddere infelicioem*, J. N. I. §. 210, & sic de reliquis. IV. Ceterum

rum quia, qui jure suo utitur, ideo non involat in alienum, patet veritas regulæ, neminem inferre læsionem nisi, qui id fecit, quod facere jus non habet; L. 151 de R. J.

Tum injuria & infortunium.

§. 147. Et quoniam jus alterius vel ut simplex facultas moralis, vel ut hujus facultatis exercitium, & usus considerari potest, consequens est, ut duo etiam sint summa genera læsionum; vel enim suum alteri subtrahitur, vel ponitur impedimentum, ne quis jure suo utatur; quorum utrumque, si a libero ejus, qui læsit, arbitrio pendeat, *Læsiō moralis* strictius, seu *Injuria* generaliter nuncupatur; secus est tantum *Infortunium*, *Læsiō physica*.

Etiam injuria vocabulum est maxime πολυσημειον, primo enim denotat id omne, quod non jure fit; L. 1. D. de Inj. & fam. libel. & ceterum quodvis peccatum injuria est (§. 82); dein quod fit contra jus alterius ex quocumque vincibili intellectu vel voluntatis defectu (§. 83). V. L. 5, §. 1, D. ad L. Aq.; CICER. Off. I. 7, & 8; GROTIUS. J. B. & P. II, XVII, §. 3. Porro sumitur pro violatione alieni a sciente facta, GROTIUS. l. c. III, XI, §. 4, n. 2. sqq.; & denique pro certa tantum violationis forma, de qua infra. V. L. 1. D. de Injur. Quod vero HOBBIUS injuriam tantum dixit violationem ejus, quod alter suo facto adquisivit, plane absurdum est; ita enim vel suum connatum dari aliquod inficiatur, vel negat ejus læsionem fieri posse; de Civ. C. III, §. 3, 4, 7. *Injuria*

vero, ut scribit MENANDER, *illud distat infortunio: Hoc casus illam quod voluntas efficit*, apud Stobeum tit. VII. Cf. GROT. II, XXI, §. 5.

§. 148. Quum cuilibet homini eæ a natura impositæ sint partes, ut sese conservare (§. 22), existere quam diutissime (§. 58), ac statum suum perficere teneatur (§. 115), hic autem intermedius saltem hominis finis sine variis subsidiis nequeat obtineri, luce profecto clarius est, jus in sui conservationem, ac perfectionem inter jura hominum connata esse referendum (§. 134), atque adeo facultatem moralem nobis ad ea cuncta esse tributam, sine quibus huic obligationi ac officio non posset satisfieri (§. 57), unde nova jura primigenia, scilicet *Jus rerum, Jus securitatis, Jus defensionis, Jus violentiæ & belli* denique promanant.

Jus hominis connatum se conservandi.

Jus se conservandi cum ex stimulis naturalibus, tum ex rectæ rationis usu adeo luculenter hauritur, ut nemo sanus illud in dubium revocare unquam ausus sit. Præclare CICE-RO: *Omne animal se ipsum diligit, ac simul, ut ortum est, id agit, ut se conservet, quod hic ei primus ad omnem vitam tuendam appetitus a natura datur, se ut conservet; Fin. V. 9;* sed quia in statu collisionis finis intermedius fini ultimo cedere debet (§. 88), hoc etiam jus aliquando desinere, suo loco patebit.

Et hinc
parandi
res neces-
sarias.

§. 149. Venit autem hic *Rei nomine omne ens a persona distinctum*, quod nobis *præstare usum potest*, seu quod homini conservando, atque perficiendo est idoneum: quoniam in omnium oculos incurrit, quemlibet nostrum rebus variis veluti cibo, potu, vestimentis ad vitam tolerandam indigere, perspicuum simul est; ne mini jus acquirendi & adhibendi res ad sui conservationem necessarias posse denegari; hoc enim sublato, etiam obligatio se conservandi irrita fieret inanisque (§. 80).

Consentit definitio a Iſto CAJO data; ei enim res est: *Omne id, quod habile est, ut possit alicujus suum esse: Instit. Lib. II, tit. 1. §. 1, cf. § L. 23, D. de V. S.* Quo sensu res non modo a persona distinguitur, sed etiam a pecunia, cujus adpellatione ea tantum, quæ reipsa sunt in bonis nostris, continentur, L. 5, D. de V. S. Jus rerum connatum eleganter quoque expressit CICERO: *Principio generi animantium omni est a natura tributum, ut se vitam, corpusque tueatur -- omniaque, quæcumque ad vivendum sunt necessaria, acquirat, & paret, ut pastum, ut latibula, ut alia ejusdem generis; Off. I. 4.*

Tum jus
securita-
tis.

§. 150. *Securitas generatim dicitur Status, in quo nullum malum imminens licet prævidere; Jus autem securitatis adpellant, jus non patiendi, ut ab altero sibi nocetur. Fingas non licere homini malum, quod*

quod sibi importatur, declinare, & a se avertere, & tunc vel is jure se conservandi carebit, vel ad legis custodiam haud erit opus oblata impedimenta remove; quorum utrumque cum sit absurdum (§. 148, & §. 80), statuendum omnino est, quemlibet hominem, cui conservationem sui natura commendat, etiam jure connato securitatis gaudere.

Hanc connatam hominibus facultatem satis etiam indicat internus sensus (§. 22), quo; *simul atque natum est animal, alienatur ab interitu, iisque rebus, quæ interitum videantur adferre*; CICER. *Fin. III, 5*. Et quia securitati opponitur *Periculum*, hoc est, status, in quo mala imminet, quod vel *Internum* est, five animi, vel *Externum*, five corporis, & cæterarum rerum; evidens est jure suo facere homines, qui periculis internis & externis se subtrahere conantur (§. 84, *sch.*).

§. 151. Qui jus habet non patiendi, ut ab altero sibi noceatur, eidem jus ad ^{Jus defensionis.} actiones, quibus vim, injuriam, & omne, quod obfuturum est, præcaveat, competere necesse est (§. 57); quum vero *Actus*, quo quis obnititur *lesioni*, seu mala intentanti resistit, *Defensio* nominetur; planum est, cuilibet homini congenitum quoque esse jus defensionis, quod ad omnia facta, sine quibus nullus foret hujus usus, porrigatur (148).

Nec pugnat jus defensionis cum alterius libertate, sed illius actiones cohibet, ne in licentiam evagentur (§. 135); scilicet, ut eleganter observat CICERO, *Hoc ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent: pro Mil. XI.*

Jus violentiæ.

§. 152. Hoc autem probato consequens est, ut si quis eo rerum redactus sit, ut imminens sibi ab altero malum alia vi nequeat declinare, quam si vim eidem adferat, & itidem mala importet, jure quoque gaudeat, quo vim vi repellere, ac læsionem intentanti tot corporis, ac rerum detrimenta & imperfectiones inferre liceat, quot sufficient ad hoc, ut læsio etiam physice fiat impossibilis, & ab illa absteatur; atque istud est, quod vocant, *Jus violentiæ*, seu *Jus cogendi* strictissime sumptum.

Cogimus alterum latissime, seu secundum quid, quacumque repræsentatione mali (§. 76, *Sch.*); minus late vero, si absolutam ei & physicam necessitatem imponimus, quamvis nullam propterea imperfectionem ipse patiatur, veluti quando furiosus compedibus obstringitur; & demum strictissime, si simul malis physicis ipsum afficimus, & in bonum nostrum eum imperfectiorem reddimus, quæ significatio hujus est loci; ACHENWAL. *Prolog. §. 89, sq.*; quorsum per-

tenet illud Ulpiani: *Vim vi repellere licere* Cajus scribit: *Jus natura comparatur*; L. 1, §. 27, D. de vi & vi arm. Ceterum per se patet, sermonem hic esse de statu potissimum naturali, & in quo violentia remedium necessarium sit, nec hujus juris usus majori quadam obligatione cohibeatur (§. 88).

§. 153. Quoniam jus alteri vim inferendi descendit ex jure defensionis (§. 152), quæ non intelligitur nisi præconcepta aliqua læsione (§. 151), is verò, qui suum tenet, alterum turbare non videtur (§. 146, Sch. IV), aperte concluditur, ut jus cogendi in eos nequaquam sese exserat, qui, dum alterius perfectiones non augent, nihil tamen faciunt, per quod ipsius perfectionibus detrahatur. Ponas vero facultatem tibi competere vi alterum adigendi, ut simpliciter suum quod est deminuat, & ita te reddat perfectiorem, tunc suum & tuum voces erunt inanes, & naturalis libertas evanescet (§. 154, 142).

Quod a læsione tantum ducitur.

Tunc sane Naturæ Auctor DEUS jura hominibus dedisset repugnantia; quo enim jure tu me cogeres, ut te perficiam, pari jure te cogere possem, ut mihi hanc perfectionem impertiaris, & a coactione abstineas (§. 142); quid quod tunc vix cibum sumere, somnum capere, res sibi necessarias parare, nunquam denique nihil agere liceret: *Asi liber esse non videtur, qui non aliquando nihil agit*; CICERO Orat. II, c. 6; quare no-

cere alteri, & eidem non prodesse probe se-
cernenda sunt, *V. L. 6 D. Quæ infr. cred.*

Non vero
ex nuda
obligatio-
ne erga se.

§. 154. Non igitur illorum subscribi-
mus sententiæ, qui jus violentiæ, seu jus
cogendi strictissime sumptum (§. 152),
etiam in eos, qui plane nihil nocent, ex
nuda obligatione erga se ipsum deduci
posse arbitrantur; vel enim juris nostri
impedimentum ab eo venit, qui illud po-
nere jus non habet, & jam læsio est, quæ
jus cogendi producit (§. 147); vel vero,
qui causa est impedimenti, jus suum usur-
pat, & in hac specie jus nostrum non ma-
jorem efficaciam habere potest, quam vis
physica, quæ per æqualem vim physicam
retunditur (§. 146, Sch. IV).

Observarat jam BARBEYRAC., & dein MAS-
COV. *ad Pufend. L. III, C. V, §. 1, not. 1,*
Jus unius aliquando inutile fieri per conflictum
juris alii personæ competentis; nec minus
agnovit DARIES. Obs. XXXVII, §. 12, Jus
in regno morali idem esse, quod in regno phy-
sico est vis; atque si vis una v. c. ut quatuor
agat in vim alteram etiam ut quatuor seu
æqualem, hæc statu suo depelli non potest
(§. 32, sch.); pari igitur dicendum modo,
jus illud esse inefficax, cui æquale jus alte-
rius resistat. Quid quod & illud principium:
Nullam facultatem moralem alteri mala infe-
rendi sine turbatione concipi posse: ipsemet DA-
RIESIUS stabilivit I. J. U. §. 360. Etsi dein
KOELERUM secutus Exerc. §. 1230, sqq. jus

cogendi, etiam si nulla subsit læsio, *ex necessitate remediorum ad finem*, & *ex juris expletione* derivarit, *Obs. XXXVII, §. 5, sqq.* & *Obs. LV, §. 13.* Enimvero naturaliter æqualia omnium hominum jura sunt, & eadem se suaque conservandi obligationes; unde consequitur jus cogere volentis nullum aut inefficax esse oportere, si is, qui cogi deberet, eodem ipse jure utatur: quamobrem fame alias perituro haud licebit, ut se alat, hominem alterum innocentem jugulare. Exemplis autem a *DARIESIO II. cc.* in contrariam adductis respondebimus suo loco.

§. 155. Jus quod nobis respectu aliorum hominum competit, si in eo, quod nostrum est, rationem habet, *Jus perfectum*, seu *Facultas* stricte nominatur, aut si ex merito tantum descendat, & dignitate, dicitur *Aptitudo*, seu *Jus imperfectum*. Itaque verissimum est, facultati in naturalibus actum, aptitudini potentiam respondere; illa enim in bonis versatur, quæ ratione existentiae in nobis sunt determinata; hæc autem in iis se se exserit, ad quæ agenda, vel habenda apti duntaxat & digni sumus (§. 132).

Quæ obligatio & jus perfectum, vel imperfectum.

Veram esse hanc & realem juris perfecti, & imperfecti definitionem uberius ex sequentibus patebit. Nunc vero intelligimus, cur uti *Suum*, *Facultas*, *Jus perfectum*, ita *Aptitudo*, *Meritum*, *Jus imperfectum* H. GROTIUS sint synonyma; de *J. B. & P. Prol.*
§.

§. 9, & L. I, C. I, §. 4, 5, & 7: quorum etiam pertinent, quæ scribit PUFENDORFFIUS J. N. & G. I, VII, §. 7: *Perfectum jus idem ac jus suum esse: tum perfecte deberi, quæ ad esse; imperfecte, quæ ad bene esse faciunt.* Nec moramur illos, qui cum COCCEJO, in notis ad GROTIUM, II, cc., nullum jus imperfectum volunt agnoscere: cum enim quævis *Facultas moralis*, quod bonum est, agendi sit jus (§. 84), qui ex merito jus oriri negant, inanem committunt logomachiam. II. Sed aptitudo, quam v. c. Cajus habet ad eleemosinam, si generatim & in se spectetur, sua Caji est, nec a quopiam violanda, atque eatenus jus perfectum constituit; cf. WOLFF. *Ph. Pr. I, §. 237, Sch.* Quatenus vero id, quod Cajo convenit, nondum ad suum illius pertinet, immo talis aptitudo ratione certæ alicujus personæ effectum consequi forte nunquam potest, ideo jus illud dicitur imperfectum. III. Cum data juris divisio ad alios referatur, perspicuum est primo, jus absolutum & simplex, quod sine relatione ad alios nobis competit, nec perfectum esse, nec imperfectum: dein jus aliquod, v. c. se conservandi, jam *simpliciter*, jam *relative* ad alios considerari posse. IV. Jus absolutum vocat DARIESIUS, quod *ex tali obligatione venit, qua strictus est is, cui jus illud competit: jus relativum, quod ex tali obligatione, qua alter nobis obstrictus est, dependet*, Obs. XXXVII, §. 2: dein perfectum idem significare putat, quod *sufficiens; & imperfectum, quod insufficiente, eo nimirum sensu, quo ratio in sufficientem & insufficientem dividatur; L. c. §. 9.* Enimvero uti jus, quod

ex obligatione oritur erga se ipsum, ad alios sæpe referri debet (*Cor. III*); ita esse aliquid nostrum, & facultatem strictè talem in id competere posse, seu jus perfectum, quin tamen jus illud sufficiens sit atque efficax, in progressu constabit; *cf. §. 3. Inst. de Except.*

§. 156. Quoniam vero illum tantum cogere nobis licet, qui in id, quod nostrum est, aliqua ratione involat (§. 154), ceteroquin vero nativæ cujusvis libertati relinquendum est, ut circumspiciat, an idonea nos perficiendi occasio (§. 153) ei præbeatur, ideo jus perfectum & efficax definiunt communiter: *Quod conjunctum est cum jure hominem alterum cogendi, si obligationi suæ satisfacere nolit: jus autem inefficax & imperfectum: Cui jus coactionem externam adhibendi minime cohæret.* Ex quibus quasnam leges & obligationes perfectas faciant, quasnam imperfectas, satis liquet.

Unde ducatur duplex illius juris forma.

I. Hæc juris perfecti & imperfecti definitiones nominales usurparunt PUFENDORFFIUS *J. N. & G. I, VI, 7*; tum WOLFFIUS *Ph. Pr. I, §. 237*; DARIESTIUS *I. J. U. §. 253*, & alii passim. Atque in eum sensum quadrat, quod ait Ictus PAULUS: *Quædam esse voluntatis & officii magis, quam necessitatis & obligationis, L. 17, §. 3, D. Commod.*; & quod scribit MACROBIUS, *Som. Scip. in Fin.*, leges imperfectas esse, in quibus nulla deviantibus pœna sancitur. II. Enimvero, omne jus imperfectum qua tale jus cogendi

ex-

excludere, dein in omni jure perfecto jus cogendi subaudiri, & per se inesse, facile largimur; quum tamen jam animadvertit GROTIUS *J. B. & P. L. II, XVIII, §. 10*, & suo loco ostendendum sit, posse aliquando jus cogendi, vel, si ita loqui mavis, hujus juris exercitium a jure perfecto separari, non sine causa vulgatas juris perfecti, & imperfecti definitiones deseruimus. Immo vero jam ipse WOLFFIUS adnotarat: *Ubi explicatum fuerit, quid sit suum, juris perfecti, & imperfecti differentiam manifestiorem fore, Ph. Pr. I, §. 237, sch.*; etli dein suum per id, *in quo homini cuidam soli jus perfectum competit*, declararit *J. N. Tom. I, §. 121*. Certe jura libertatis & æqualitatis connata sunt, & perfecta; jus attamen cogendi, vel ejus usus, non nisi in statu adscititio læsionis obtinet (§. 153).

Et quibus
enunciatis
contineatur.

§. 157. Quod si rationes attentius quis subducere velit, nullo negotio perspiciet, leges & obligationes perfectas omnes ex suo alterius profluere, & in hacce propositione contineri: *Neminem lædas*: vel, *Sinito suum cuique*: contra leges & obligationes imperfectas ex aliorum merito progigni, & dignitate, ac in illo inesse enunciato: *Studeas prodesse aliis, & eorum utilitatibus servire*: quorum alterum nuda cessatione a læsione, alterum non nisi actione quadam positiva efficitur; itaque prius etiam vi naturaliter extorqueri, posterius vero consiliis & adhortationibus

(§.

(§. 75) impetrari tantum potest (§. 153 & 81, sch. IV).

Ex his autem concludimus, I. suum alicujus & jus perfectum sine jure cogendi cogitari aliquando posse (§. 156, sch.), aut jus cogendi sine jure perfecti, hoc est sui, violatione repugnare (§. 154); quorsum pertinet elegans locus Icti Pauli: *Nemo, ait, cogi potest, ut vicino proffit, sed ne noceat, aut interpellet facientem, quod jure facere possit; L. 2, §. 5, D. de Aq. & aq. pl. II.* Si jus aliquod cogendi absolutum sine jure perfecto & relativo effingas cum DARIESIO (cf. §. 155, sch. IV), tunc jus defensionis contra furiosum aggressorem, quod non ex hujus obligatione, sed ex obligatione cujusvis erga se ipsum ducitur (§. 148, §. 151), etsi id sine relatione ad alium nequeat cogitari, tamen nec jus relativum esset, nec perfectum, quod sane, & ab usu loquendi, & ab ipsa vulgata juris perfecti definitione (§. 156) abhorret. Immo vero sunt jura non pauca, quæ non ex aliqua obligatione, sed ex obligationis negatione promanant (§. 84). III. Sed nec ideo quis jure perfecto gaudet, quia alter ei perfecte obligatur, uti DARIESIO visum est, *Obs. XXXVII, §. 3*, sed jus perfectum, quod est, obligationem etiam alterius efficacem & perfectam producit. Nec dicas, jus cogendi etiam illum, qui non lædit, sæpe venire ex juris expletione, & ex finis necessitate, quæ jus ad media necessaria complectatur; siquidem illud inde conficies absurdum, ut aptitudo, & meritum facultatem cogendi involvant, si non

non aliter jus explere, & finem, quo quis dignus est, adsequi liceret. Sed nec ulla subest ad finem obtinendum necessitas moralis, si remedia juri, quod alter conservare potest, adversentur (153, sch).

Jus commune & proprium.

§. 158. *Jus commune* dicitur, quod omnibus competit, & a quo proin nemo arceri potest; *Jus proprium* vero est, quod unus aut plures conjunctim ita habent, ut ceteri omnes ab eo possint excludi: quoniam jura connata eadem sunt in quolibet homine, non autem jura adquisita (§. 136); patet, illa juribus communibus, hæc vero juribus propriis esse accensenda. Ceterum uti jus, quod pluribus conjunctim proprium est, illud inter ipsos commune nominatur; ita etiam jura nativa & communia, sicut in singulis hominibus determinata spectentur, naturam juris proprii induunt.

I. Igitur non modo vita, corpus, membra, sed etiam jura libertatis & æqualitatis in statu naturali absoluto cujusvis personæ singularis propria sunt, reliqui enim omnes, si in eadem invadant, vi arceri possunt. II. Suum definiverunt nonnulli: *id a quo alter excludi potest*; CANTZIUS *Disc. mor.* §. 1826, & ACHENW. *J. N. edit.* IV, §. 53; vel *ad quod quis habet jus proprium*, KEUEFEL *Exerc. ad Grot.* §. 142. Enim vero non ideo nostrum aliquid vocamus, quod alios inde depellere possumus, sed quia id nostrum est,

est, ideo reliquos jure excludimus (§. 151).

§. 159. Is hominum status, qui ab ^{Pax & bellum defini-} omni aliorum violentia & coactione vacuus est, *Pax* vocatur: huic opponitur *Bellum*, seu status ille, in quo homines conatum efficacem produunt mala alijs inferendi per vim. Quare cui alterum actu cogere, & quod suum est vi tueri, ac persequi licet, eidem etiam jus belli competere non potest dubitari.

I. Eadem reperitur belli notio apud Cicero-
nem, dum ait: *Duo esse genera decertandi, alterum per disceptationem, alterum per vim; Off. I, 11.* Certatio vero, uti & disceptatio, non solum ipsum pugnae & contradictionis actum designant, sed totum tempus, quo ita dissidetur; cf. *SERVIVS ad Virg. Aeneid. I, v. 545, & VIII, v. 547.* Quare *GROTIUS* illam definitionem ita explicavit, ut bellum diceret: *Statum per vim certantium, qua tales sunt; J. B. & P. I, 1, §. 2.* Nec obstat, esse & certamina ludrica, ludosque equestres; hæc enim belli sunt tantum imagines atque iudibria. II. Displicet hæc definitio illis, qui bella geri tantum putant a superioris potestate; *BYNKERSH. Quæst. J. P. I, 1; & HEIN. J. N. II, §. 191.* Enimvero ea hic adhibenda erat latissima significatio, quæ omnia belli genera contineret; jam enim, quid bellum sit, quæritur, non a quo & quonam jure suscipiatur. Consentit usus loquendi & origo vocis; cf. *GROT. l. c., MENAG. Amæn. voc. Bona.* III. Quoniam
ma-

mala alteri efficaciter inferri possunt sine vi, immo & blanditiis, v. *L. 1. §. 3. D. de Serv. corrupt.*, quæ non veniunt belli nomine, ideo definitio a KOELERO, *Exer. §. 806*, & dein a DARIESIO I. J. U. §. 358 data, in qua nulla fit mentio violentiæ, magis determinari debuit. *Vid. PUFEN. J. N. & G. I, I, 8. IV.* Equidem BYNKERSON. *l. c.* non modo vim, sed etiam ingenium, artem, consilium ad bellum pertinere tradit, quod utique verum est, sed hæc etiam eo tendunt, ut vis comparetur, aut fiat, aut arceatur, aut eludatur.

Status naturæ est status pacis.

§. 160. Etsi vero jus defensionis & jus belli ad jura connata pertineant: quum tamen non prius illa exercere liceat, quam erumpente læsione (§. 153), quæ finibus creatoris ratione sola cognitis, atque adeo humanæ naturæ & felicitati utique est adversa (§. 148); consequens est, statum hominis naturalem absolutum esse statum pacis (§. 159); contra statum belli esse tantum hypotheticum, quippe qui superveniente primum illicito quodam facto confurgit. Quid, quod bellum subsidium est, quo uti licet ad declinandas læsiones; patet igitur ad eum scopum nos natura impelli, ut pace fruamur.

Falsam porro esse intelligimus HOBBSII, & THOMASII doctrinam, quo alteri *Status naturæ status belli*, de *Civ. IX, 3, XIII, 7*; alteri *plus saltem de statu belli partici-*
pa-

pare visus est, *Fund. J. N. III, III, §. 55*; nisi cum GUNDLINGIO *J. N. C. 3, §. 19*, de statu naturali hypothetico intelligantur, & improprie sumpto, in quo cum nullum sit imperium (§. 142), læsionem vi & armis arcere sæpius oportet. Sane ipsemet HOBBIUS bellum definit: *Tempus illud, in quo voluntas certandi per vim verbis, factisque declaratur, de Civ. C. I, §. 11*; quo satis clare innuit, statum belli non esse originarium, sed per declarationem adsumi. Immo vero is diserte docuit, *belli calamitates & pericula natura omnes fugere, de Civ. Epist. Dedic.*; & hinc primam naturæ legem esse: *Quærendam esse pacem, ubi haberi potest; ubi non potest, quærenda esse belli auxilia, de Div. II, §. 2*. Inde igitur repetenda est tam apertæ contradictionis causa, primo quod pravos multorum affectus (§. 53) subjecerit in locum communis naturæ; IDEM *de Civ. C. I, §. 3. seqq.*; dein quod ex obligatione se conservandi jus belli etiam in non lædentes derivavit, *l. c. I, §. 7. seqq.*, quod tamen supra (§. 154) satis explosimus.

§. 161. Omne id, quod jure suscipitur, seu quod legi & juri non repugnat, *Justum & honestum latissime.* *Justum* est latissime: id ipsum dicitur *Honestum*, quatenus ad voluntatem agentis refertur, ac porro omnium approbationem demeretur. *Justo* *injustum*, *honesto* *inhonestum*, seu *turpe*, sunt contraria; itaque *injustum* est, quidquid juri ac legi non congruit;

gruit; *Inhonestum*, quod cum agentem moraliter reddat imperfectiorem (§. 62), nullius approbatione dignum esse potest.

I. A jure pro lege accepto id, quod rectum est, justum latius dici GROTIUS observavit; *J. B. & P. I, I, §. 9*; quod ipsum jam docuerat ARISTOTELES *Eth. V, c. 3*: *Ἐπί τῷ παράνομῳ ἀδίκος ἔν, νόμιμος ἐστὶ δίκαιος*. Quoniam is, qui contra legem admittit, est injustus; justus est, qui legem servat. Unde *Justi*, id est legitimi, liberi in XII. Tabulis, *Tab. IV; Justæ nuptiæ*, *pr. Inst. de nupt.*; contra *Injusta uxor*, *L. 13. D. ad L. Jul. de adult.*; *Injustum testamentum*, *Tit. Dig. de injust. rupt.*, nominantur. Cf. & DARIUS. *Obs. XXXVIII, §. 2, seqq.* II. *Honestum* vocat CICERO, *Quod per se ipsum possit jure laudari*, *Fin. II, 14, seqq.*; & quod vere dicimus, etiamsi a nullo laudetur, natura esse laudabile, *Off. I, 4*: quem amplissimum sensum retinuerunt GROTIUS, *I. B. & P. I, II, §. 1, n. 2*; WOLFFIUS *Ph. Pr. I, §. 171*; DARIUSIUS *I. J. U. §. 158*; BURLAMAQUIUS *El. J. N. II, c. VIII, §. 31*; aliique, quibus honestum est, *Quidquid legi naturali convenienter fit, cui CICERO inhonestum, pravum, fœdum, flagitiosum opposuit*; *Fin. III, 4*.

Pium, tum
justum, &
honestum
minus la-
te.

§. 162. Quoniam vero legum & officiorum genera tribus summis capitibus, nimirum DEI cultu, philautia, & socialitate constant (§. 115), singula quoque pro-

propriis nominibus oportuit insigniri ; hinc quod officiis erga DEUM convenit , *Pium* , quod officiis erga se ipsum , *honestum* , quod officiis erga alios , *justum* sensu minus lato adpellari consueverunt ; quorum contraria , scilicet *impium* , *inhonestum* , & *injustum* facile tacentibus nobis intelligentur.

I. Quamvis generaliter *pium* vocetur officium , quod patriæ , parentibus , ceterisque conjunctis , immo & personis miserabilibus præstatur ; *L. 2. de Inoff. Test. , L. 23 D. de his , qui not. inf. , L. 35. C. de Epif. & Cler. , & CICERO de Invent. II, §. 22 , & 53 ;* proprie tamen adhibetur ea vox ad officia , quæ Deo debentur , declaranda , *Vid. CICERO pro Dom. XLI , & N. D. II, 61 ,* eoque sensu jam recepta est in nostra disciplina ; *WOLF. J. N. T. I. §. II27 ; BURLAMAQ. El. J. N. I, c. XI. §. IO, HEINEC. El. J. N. I, §. 128 ; DARIES. I. J. un. §. 173. II. Arctior honesti significatio satis colligitur cum ex CICERONE , qui sæpius illud ab justo ratione quadam distinxit ; cf. Fin. II, 16 ; tum vero ex L. 60 Dig. , & §. Inst. de J. & J. , ubi cum tria tradantur juris præcepta , *honeste vivere , alterum non lædere , & suum cuique tribuere .* horum primum ad nos pertinere optimi quivis interpretes observarunt ; cf. HOTTOMANUS , BROEUS , *Ant. MATTHÆI ad §. 3. cit. ; & ideo in L. 144 , & L. 179 D. de Reg. Jur. , non omne , quod licet , (seu quod justum est) honestum esse* pronunciat : atque hunc*

hunc posteriorem sensum THOMASIVS *Fundam. I, C. VI, §. 40*; SCHIERSCHMID. *El. J. N. §. 198*; BAUMGARTEN *Eth. Ph. §. 300*, aliique plures sunt secuti. Quod si honestum in hac strictiore significatione sumptum mavis cum BARBEYRAC. *ad Pufendorf. J. N. & G. I, VII, 7*; & BURLAMAQUIO *I, XI, 10*, temperatum dicere, aut moderatum, de voce non disputabo. III. Denique quando CIC., *Fin. V, 23*, tum GROTIUS *l. c. I, I, §. 3*, justum vocant, quod *nature societatis ratione utentium congruit*, satis ostenderunt officia omnia erga alios illa voce designari. Hæc tria officiorum genera distinxit etiam DIVINUS SALVATOR, erudiens nos per Apostolum, *ἡμεῖς σωφρονεῖτε καὶ δικαιοῦτε καὶ εὐσεβῶς ζήσαμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι*: *Ut sobrie, seu honeste, & juste, & pie vivamus in hoc seculo*: *ad Titum II, 12.*

Justum,
æquum,
honestum
& deco-
rum stri-
ctissime.

§. 163. Sed tam officia erga nosmet-
iplos, quam officia erga alios bifariam
considerari possunt; ac illa quidem prout
a statu nostro, vel interno, vel externo,
hæc vero quatenus a jure alterius aut per-
fecto, aut imperfecto ducuntur. Ideo in
arctissima significatione *honestum* dicitur,
quod statum nostrum internum perficit;
decorum, quod statui nostro externo con-
sentaneum est, & hinc ab aliis sensu per-
cipi, gratumque judicari potest; *justum*
quod suum alterius non violat; *æquum*
denique, quod aliorum meritis congruit
atque dignitati: & jam *inhonestum*, *inde-
corum*,

corum, *injustum*, *iniquum* strictissime quid sit, planum erit definire.

I. Equidem *decorum* latius sumptum, seu generale, ab honesto, recto, & laudabili nequit separari, CICERO *I. Off.* 27, 28; immo hæc vocabula idem censentur declarare, CICERO *Fin.* III, 4. *Decorum* tamen, speciale oculis judicari; idem *Nat. D.* II. 38; & porro in omnibus factis & dictis, in corporis motu & statu, hinc & in formositate, ordine, ornatu ad actionem apto cerni dicitur, quo probemur iis quibuscum & apud quos vivamus, idem *Off.* I. 35; atque huic decori notioni WOLFFIUS *Ph. Pr.* I. §. 194; ERNESTI *Init. Doctr. sol.* III, §. 175, 199; tum BAUMGARTEN *Eth. Phil.* §. 380; immo & DARIESIUS *I. J. U.*, §. 157; inhæserunt. Quare nulla usus loquendi habita ratio est a THOMASIO *Fund.* I. C. VI, §. 41, & SCHIERCSHMIDIO *l. c.* §. 198; qui officia erga alios imperfecta ad *decorum* retulere. Ceterum *decorum* duplici ex fonte derivatur: aliud enim *naturale* est, quod in ipsa rerum natura rationem habet, v. c. erectum habere vultum; nec fuco illitum; aliud *arbitrarium*, quod pendet ab hominum opinione, veluti barbam radere, caput detegere salutandi causa, commode saltare; cf. CORNEL. NEP. *Præf.* Eadem est ratio indecori. II. Quoniam igitur honestum externum decori venit nomine, superest, ut *honestum* strictissime ad officia erga nos interna referamus, non vero ad officia erga alios imperfecta, uti HEINECCIO visum est; *El. J. N.* I, §. 118. Potest nimirum homo decorus

R

esse

esse, quamvis inhonestus sit, ac turpis, qualem describit HORATIUS: *Introrsum turpem, speciosum pelle decora*; I, *Epist.* 16, v. 45. III. Tertiam & propriam *justi* definitionem suggerit CICERO, dum ait, id esse, *nemini nocere*, I. *Off.* 7; *non appetere alienum, qui enim id faciunt, proprie sunt injusti*, *Tusc. Disp.* III. 17: cf. & GROTIUS *J. B. & P.* I, 1, 5; PUFFENDORF. *de O. H. & C.* I, C. 2, §. 12. IV. Non minor inconstantia est vocis *aqui*; jam enim accipitur (a) generatim pro omni justo, & bono etiam positivo, L. 1. *D. de J. & J.*; jam (b) vero pro eo, quod juris naturalis proprium est, CICERO *Top.* V, & VII, L. 2, §. 5, *D. de Aq. & Aq. Pluv.*; jamque sigillatim (γ) pro eo, quod præstare aliis obligamur, sed solum imperfecte, CICERO *Orat. Partit.* XXXVII, *Fin.* II, 18; GROTIUS *de Æquit. Indulg.* C. I, §. 2. Nos tertiam tenuimus significationem, quam WOLFFIUS *Ph. Pr.* I, §. 240, & DARIESIUS *I. J. Un.* §. 155; NETTELBLAT, *Syst. J. Un.* I, §. 87, aliique sunt amplexi: scilicet uti decorum est honestum externum, ita æquum est justum internum, quod vi & bello nequit extorqueri.

Virtus &
vitium
quid.

§. 164. Certa agendi facilitas ac promptitudo habitum constituit: hic, si in legibus custodiendis acquiritur, *Virtus*; si autem in iisdem violandis, *Vitiositas* nuncupatur; quum vero tam legum custodia, quam violatio ab aliquo intellectus & voluntatis actu proficiscatur (§. 82),

con-

consequens est, ut nuda omnique mentis habilitate destituta actionum externarum convenientia, vel disconvenientia cum lege nec virtutis nec vitiositatis nomen mereatur.

I. In definienda virtute, & vitiositate satis consentiunt scriptores; cf. WOLF, *Pb. Pr.* §. 421, & *J. N. T. I.*, §. 277; DARIUS I. J. U. §. 148. Nec alia mens fuit CICERONIS; cui *Virtus est consentiens cum ratione & perpetua constantia, Parad. III; Constans & perpetua vitæ ratio, de LL. I.*, 17. *Vitiositas vero habitus aut affectio in tota vita inconstans, & a se ipsa dissentiens, Tusculan. IV.*, 13, & 15. Et quoniam leges vel naturales sunt vel positivæ, hæc porro vel divinæ vel humanæ (§. 89), etiam virtutem in *Philosophicam, Civilem, & Christianam* abire recte ab aliis observatum est II. Actio igitur *materialiter* bona & justa esse potest in sensu stricto, etli *formaliter* sit mala, inhonesta, & injusta latiore significatione (§. 62, & §. 63); quod & pulchre distinxit Philemon apud STOBÆUM *serm. IX.*, justum vocans:

*Non quisquis illa quolibet præstat modo,
Sed qui dolosi nescius fuci, integra
Probitate justus esse, non credi studet.*

§. 165. Quoniam multiplex habituum agendi, & legum naturalium consideratio est, ideo tam virtutes philosophicæ, quam vitia in varias formas dipefcuntur.

Quæ varia
utriusque
genera.

Uti enim habitus, qui in edendis actionibus vel piis, vel honestis, vel decoris, vel justis, vel æquis comparantur, singulari pietatis, honestatis, decentiæ, justitiæ, aut æquitatis veniunt nomine, ita quæ his virtutibus opposita sunt vitia, scilicet impietas, inhonestas, impudentia, injustitia, iniquitas, cernuntur in habitibus contrariis; quum tamen justis & honestis, dein injustis & inhonestis jam amplior, jamque arctior sit significatio (§. 161), manifestum est, etiam justitiam, & honestatem, tum injustitiam, & inhonestatem, nunc magis, nunc minus late patere.

I. Quamquam CICERO omnia officia erga alios, immo & officia erga Deum aliquando justitiæ subiceret, *Partit. XXII*; & ideo eam definiret, quod sit *Habitus animi jus suum cuique tribuens & dignitatem*, *Heren. III, 2*; *Inv. II, 53*; ubi tamen proprias singulis virtutibus assignat functiones; *Pietatem in Numinis cultu*, *N. D. I, 41*; *II, 61*, & *Off. II, 3*; *Justitiam vero in tribuendo suum cuique collocavit*, *Fin. V, 23*; hujusque primum munus fecit, *ne cui quis noceat*, *Off. I, 7*; tum *justitiæ partes esse dixit*, *non violare homines, verecundiam non offendere, in quo maxime perspiciatur vis decori*, *I. Off. 28*. Quapropter etiam GROTIUS *J. B. & P. Prol. §. 8*, *Injustitiam non aliam naturam habere scribit, quam alii usurpationem: contra, Justitiam totam in alieni abstinentiâ positam esse*, *l. c. §. 44*; atque in id veteres

& recentiores omnes conspirant. Cf. KOE-
LER. *Ex.* §. 797 ; Coccejus *Diff. ad*
GROT. XII , §. 53. II. Æquitas quoque
sæpe pro ipsa justitia usurpatur a CICERO-
NE ad *Heren.* III , 2 ; quando vero duplex
ejus dicitur vis , cujus *altera justitiam ratione de-*
fendatur , altera ad gratiam & beneficium per-
tineat , IDEM *Partit.* XXXVII , abunde in-
nuitur æquitatem quidem cum justitia esse
conjunctam , utramque tamen proprium
suum munus tueri : quod ipsum ex CICERO-
NE *Off.* I , 7 , 14 , & 16 , nec non ex L. I ,
§. 5 , *D. de aq. & Aq. pl.* adparet. Ceterum
in tanta loquendi inconstantia oportebat om-
nino firmas dari vocabulorum notiones (§.
112 , *sch.*) , uti & *Cel.* WOLFFIUS verissime
adnotavit ; *Ph. Pr.* I , §. 160.

§. 166. His ita expositis non abs re erit
varia , quæ faciunt , justitiæ genera bre-
viter indicare : ac primo quidem eam *Uni-*
versalem esse , vel *Particularem* dicunt. Il-
lam esse ajunt , quæ virtutes omnes vel
simpliciter , vel saltem ad aliorum perfe-
ctionem indefinite relatas complectatur ;
huic autem subjiciunt actiones , quæ juri
alicujus definito & peculiari , & porro
servandæ inter homines æqualitati con-
gruant. Deinde particularem justitiam vo-
cant *Distributivam* , quæ in rebus secun-
dum quid communibus (§. 158) divi-
dendis versetur proportionem geometricam ;
& *Commutativam* , quæ ad res proprias in
alterum proportionem arithmeticam , adeo-
que

Justitia
universalis
& particu-
laris.

que sine læsione transferendas pertineat. Denique justitiam in persolvendis præmiis *Remuneratoriam*, in pœnis infligendis *Ultricem*, seu vindicativam nuncupant.

I. Justitiam simpliciter universalem definit ARISTOTELES, *Virtutem faciendi, quod lex facere jubet, prorsusque cuncta, quæ ex virtutibus ducuntur, Magn. mor. I, c. 34; & ideo alibi justum vocat, qui legibus pareat, & injustum, qui contra legem committit, V. Nicom. 2.* Quorsum & locus MACROB. *Som. Scip. I, 8*, pertinet: ast de Justitia universali secundum quid locutus est Philosophus, *V. Nicom, 3*, dum ait: *Hæc igitur justitia virtus est, illa quidem perfecta, non tamen simpliciter atque absolute, sed si ad alterum referatur.* Alii priorem, alii posteriorem sensum sunt amplexi, cf. GUNER. ad *Daries. §. 332*, n. 3; ast ita facile conciliari possunt. II. Contra justitia particularis ARISTOTELI est distincta virtus, & a ceteris omnibus diversa, ob quam *quis plus non sumit, aut vindicat, quam oportet & æqualitatem servat, Nicom. V. 4, & Mag. mor. I, 34; cui opponitur injuria, & cupiditas habendi plus suo, lb. cc., illaque versari dicitur in honore, aut pecunia, aut salute, aut fr̄ quo uno nomine hæc omnia complecti possit, in eo scilicet quod nostrum supra nuncupavimus (§. 143, 144); nam justitia in non accipiendo alieno collocatur, & a liberalitate secernitur, Nicom. IV, C. I; quæ etiam PUFFENDORFII de O.H. & C.I, C.2, §. 14; & TERVERI, CHAR.MICHAELIS ad h. l.; tum DARIESII I. J. U. §. 233* alio-

aliorumque est sententia, Ceterum carpitur a multis hæc distributio, quod particularis justitia in universali jam contineatur: ast hi animadvertere poterant, non proprie sic dividi justitiam, sed vocabuli ambigui variam significationem explanari. III. Particularis justitiæ unam speciem dixit ARISTOTELES, quæ sit *in distributione rerum communium*, alteram quæ *in rebus communicandis vim corrigendi & emendandi habeat non modo inter volentes ed, setiam inter invitos*, *Nicom. V., c. 5, & c. 7.* Et quum *Relatio, quam habent duo numeri inter se comparati*, a Mathematicis dicatur *Ratio*, & quidem *geometrica*, si per divisionem, *arithmetica* si per subtractionem ea inveniatur; proportio autem *geometrica* sit *Similitudo duarum rationum geometricarum*, veluti $6. 2 :: 12. 4$, & proportio *arithmetica* sit *Similitudo duarum rationum arithmeticarum*, veluti $7. 2 :: 5. 8$. $3 :: 5$, non inepte docuit Philosophus, priorem proportionem in justitia distributiva, posteriorem in commutativa observari, *Nicom. V., c. 7.* Hinc si A unum, B duo, C tria contulerint, & 24 adipiscantur, illi 4, isti 8, huic 12 debentur. Fingas vero Cajum quinque Titio abstulisse; jam primo totidem subtrahere, & ea addere secundo oportebit. IV. Denique justitiam remuneratoriam & vindicativam KOELERUS *Ex. §. 1446*, & DARIESIUS *I. §. un. §. 235*, aliique adornarunt, quibus præsertim quoad alterum membrum jam GROT. II, XX, 1, n. 2; & PUFFENDORFIUS I, VII, 10, 13, VIII, III, §. 3, præiverunt. Prioris justitiæ exemplum adsignat ipse ARISTOTELES

LES, *Mag. mor. l. 34*, in distributione præmiorum, & in certaminibus athletarum: exempla vero posterioris ex §. 77, *sch.*, interim erui possunt.

Expletrix,
& attributrix.

§. 167. Etsi vero hæc justitiæ distributio per se non fit absurda, ea tamen miris ambagibus involuta fuit & logomachiis: quare præstat modo illam divisionem, quæ a jure illius, cui aliquid tribuitur, descendit, cum Grotio usurpare: si nimirum juri alterius perfecto respondet, & hinc suum & facultatem respicit, justitia est *Expletrix*; si vero respondet juri alterius imperfecto, adeoque meritum tantum respicit, & dignitatem, justitia est *Attributrix*. Nec ullum reperire est justitiæ munus, quod non uno, aut altero hujus divisionis membro contineatur; ceterum abunde patet solum justitiam explettricem proprie & strictè justitiæ nomine venire.

I. Inde autem ortæ sunt ambages, quod justitiæ distributiæ & commutatiæ notiones, propter adducta a Philosopho, *Nicom. V. 5*, particularia exempla confusæ, nec satis universales visæ sunt: quare interpretes non pauci justitiam *διαμοιραστικὴν*, *distributivam*, non in re secundum quid communi dividenda, sed in præmiis tantum, vel pœnis assignandis versari, perperam sibi persuaserant; cf. GROT. J. B. & P. l. I, 8, & ibi *Heinecc.* Contra justitiam *συναλλακτικὴν* vocarunt *commu-*

tativam nimis arcto vocabulo, cum potius *Emendatrix*, vel *Correctrix* ad mentem ARISTOTELIS fuisset dicenda, ut omnem justitiæ formam hoc genere comprehensam exhauriret; cf. GROTI. *l. c.* Dein obscuris utebantur proportionum definitionibus; arithmeticam enim plerique per *respectum rei ad rem*, & geometricam per *respectum rei ad personam* declarabant. V. NOODT. *ad Pand. L. I, 1.* Ac illam quidem ad facultatem, hanc ad meritum unice pertinere arbitrati sunt, aliter ac sensit Philosophus, qui etiam in jure perfecto, veluti in *pecuniæ communis distributione eadem ratione*, scilicet geometrica, *utendum esse dixit, quam habent inter se res eæ, quæ ab uno quoque in medium allatæ sunt*; *Nicom. V, 7.* Denique determinationem ejus, quod pluribus jure perfecto tribuendum est, multi cum ipso distributionis actu confundebant; etsi enim determinatio ejus, quod cuique ex re communi debetur, fiat ratione geometrica, tamen certum est, in ipsa retributione rationem arithmeticam esse observandam. Cf. WOLFF. *Hor. subs. l. c.*, An. 1729; *Trim. vern. IV, II, §. 11.* Igitur alteram illam justitiæ divisionem a veteribus confuse indicatam (§. 165, sch.) primus exposuit GROTI. *J. B. & P. I, §. 8*, quæ, quidquid COCCÉJO videatur, nullum jus imperfectum agnoscenti, in *Comment. ad GROTI. l. c.* (§. 155, sch.), eximium tamen usum habet in nostra disciplina: ast minus recte autumavit vir ille summus justitiam attributivam distributivæ, & expletivam commutativæ respondere; uti enim utraque justitiæ par-

particularis forma in expletice continetur ; ita distributiva plures semper ad rem communem concurrentes supponit ; contra attributrix etiam intuitu unius tantum exerceri potest. Id etiam movit PUFFENDORF. J. N. & G. I, VII, 8 ; tum DARIESIIUM. I J. U. §. 232, aliosque, ut justitiæ universali attributricem, & particulari expleticem substituerent. Et ita quæ contra Aristotelicam proportionis doctrinam GROTIUS, & COCCEJUS, *l. c. n. 2, & 3*, tum HOBBE-SIUS *de Civ. III, 6*, Gerh. NOODT ad *Pand. I, I, Tit. I*, alique excogitarunt, facile corruunt omnia.

Personæ,
& actio-
nis.

§. 168. Porro justitiam aliam *personæ*, seu internam, aliam *actionis*, seu externam, faciunt : priorem per *habitum animi suum cuique tribuendi*, posteriorem per *nam actionis cum lege convenientiam* definiunt. Enimvero, etsi hæc formam habet justitiæ, & similitudinem, vera tamen justitia non est (§. 164) ; quod talis autem esse judicetur, inde evenit, quia homo aliorum hominum mentes nequit penitus introspicere (§. 18). Ceterum duplex hæc personæ & actionis consideratio non tam justitiæ propria est, quam reliquis etiam virtutibus communis, siquidem actiones piæ, honestæ & æquæ nunc a proposito voluntatis, nunc ab alia quoque causa proficisci possunt (§. 164).

Recte porro distinxit ARISTOTELES, *V. Eth.*

Eth. 10, & 11, *injuste agere, & agere quod injustum est*; CICERO autem hoc ipsum dixit ita justum esse, quod recte fit, si est voluntarium, *Off.* I, 9, & III, 17; actio scilicet bonitatem materiale, seu physicam habere potest, etsi bonitate formali, seu morali destituatur juxta illud HORATII: „*Oderunt peccare boni virtutis amore: „Tu nihil admittes in te formidine pœnæ: „I, Ep. XVI, v. 52*: atque hac de causa HOBBSIUS justitiam personæ a justitia actionis, & hominem justum ab infante, *de Civ.* III, 5, tum COCCEJUS jus a virtute, *Diss. proœm. ad Grot.* X, 15, denique justitiam internam ab externa separarunt; vid. HEIN. *El. J. N.* II, §. 150. Quo sensu tamen justitia attributrix, quæ proprie interna audit, justitia actionis tantum atque externa esse potest; nec enim ea divisio propria est justitiæ strictæ talis, sed etiam reliquis virtutibus communis (§. 134). II, Jam vero intelligimus, cur definitio justitiæ data ab ULPIANO in *L. 10, pr. D. de J. & J.*, quod sit *Constans & perpetua voluntas* (habitus nimirum seu virtus §. 164) *jus suum cuique tribuendi*, ad justitiam personæ & explettricem simul spectet, siquidem *Suum* in sensu tecnico propriæ disciplinæ (§. 143) accepisse judicandus est. Ii vero, quibus justitia est *bonitas*, (id est promptitudo, quod alii bonum est, agendi) *per sapientiam administrata*, WOLF. *Th. N. I.* §. 1067, DARIËS. §. 229; seu *bonitas in spiritu proportionalis*, BAUMGART *Metaph.* §. 906, illi hanc virtutem in latiore significatione considerarunt.

Quisque
justus &
bonus
præsumen-
sus,

§. 169. Quemadmodum bona & recta non aliter est actio, quam si in singulis suis partibus consentit cum lege (§. 82), ita *virum bonum* esse illum tantum appellandum putamus, qui pietate, justitia, æquitate, honestate & decentia est imbutus; justum vero in sensu latissimo (§. 161), qui nullis adhuc fœdatus est vitiis contrariis: quum autem hæc vitia primum actionibus nostris liberis adsciscantur, nemo a sola natura vitiosus, fœdusque esse intelligitur, sed demum accedente quodam facto. Hinc quilibet homo etiam eo jure connato gaudet, ut justus amplissima significatione esse judicetur, donec ex turpibus factis de ipsius malitia & vitiositate constiterit.

Viri boni ideam præclare expressit CICERO: *Virum*, inquit, *bonum aliquem esse, innumerabilibus officiis & laudibus continetur*; Off. III, 19. Et alibi: *Omnibus enim virtutibus instructos, & ornatos cum sapientes, tum viros bonos dicimus*; *Tusc. disp. V, §. X, cf. & de Amicit. C. V, quocum consentit HORATIUS*;

Vir bonus est quis?

Qui consulta patrum, qui leges juraque servat. I. Ep. XVI, v. 40.

Quoniam vero quisque jure connato gaudet, ut justus esse judicetur, donec appareat contrarium: ideo si actio externe justa sit, etiam pro justa interne est habenda. Itaque vul-

vulgatum illud adagium: *quilibet presumitur bonus, donec probetur malus*: verum est in sensu negante vitia facto adquisita, non vero in sensu affirmante hominem omnibus virtutibus ornatum atque instructum.



CAPUT QUINTUM

DE

VARIA ACTIONUM MORALITATE, IMPUTATIONE, AC CONSCIENTIA.

- | | |
|--|--|
| <p>170. <i>D</i>ifferunt actiones moralitate.</p> <p>171. <i>P</i>ro obligationis magnitudine.</p> <p>172. <i>A</i>c libertatis.</p> <p>173. <i>A</i>deoque arbitrii & rationis gradu.</p> <p>174. <i>Q</i>uis dicatur actionis auctor?</p> <p>175. <i>Q</i>uid imputatio?</p> <p>176. <i>H</i>æc constat ratiocinio.</p> <p>177. <i>T</i>am quoad factum, quam quoad jus.</p> <p>178. <i>E</i>st vera vel falsa.</p> <p>179. <i>C</i>erta vel incerta.</p> <p>180. <i>I</i>mputationis subiectum, objectum, & fundamentum.</p> <p>181. <i>C</i>ausa actionis solitaria, auxiliatrix, præcipua, subiecta.</p> <p>182. <i>Q</i>ue causæ morales speciatim.</p> <p>183. <i>A</i>ctio non imputatur, si careat spontaneitate.</p> | <p>184. <i>S</i>i non sit fortuita agenti.</p> <p>185. <i>V</i>el in ejus intelligentiam non cadat.</p> <p>186. <i>E</i>x gradu moralitatis accipitur imputationis mensura.</p> <p>187. <i>A</i>ctio facilis minus imputanda est, quam difficilis.</p> <p>188. <i>I</i>n vita minus, quam ultronea.</p> <p>189. <i>C</i>ontra causæ præcipuæ magis, quam subiectæ.</p> <p>190. <i>Q</i>uænam agendi momenta augeant imputationem?</p> <p>191. <i>C</i>ulpa minus imputatur, quam dolus.</p> <p>192. <i>A</i>ctio deliberata magis, quam non deliberata.</p> <p>193. <i>Q</i>uando ex intentione & proposito imputatio sumat incrementum?</p> |
|--|--|

194. Et pro gradu diligentia aut negligentia varietur?
195. Tum pro modo aetatis, temperatura, & affectuum?
196. Cur actio composita magis aestimetur, quam simplex?
197. Quid forum, & quod duplex?
198. Existit forum conscientiae.
199. Haec antecedens est, vel consequens, theoretica, vel practica, bona, vel mala.
200. Recta, vel errans, probabilis, vel improbabilis, vel dubia.
201. Quatenus teneamur sequi dictamen conscientiae.
202. Quid si fuerit errans?
203. Vel dubium?
204. Vel tantum probabile.
205. Cur id imprimis tenendum sit, quod verissimillimum?
206. Opinione minus probabili rejecta.
207. Quid objiciant adversarii?
208. Refelluntur argumenta a notione probabilis, favore libertatis, & defectu legis petita.
209. Tum & reliqua fallaciae diluuntur.
210. Quae dormiens dicitur conscientia, quae expergescenda.



§. 170.

Differunt
actiones
moralita-
te.

Quomodo actiones humanæ ratione subjecti, in quo versantur, a se invicem discrepent, explicatum est superiori capite: nunc de discrimine, quod eadem a quantitate bonitatis, vel malitiæ moralis accipiunt, consentaneum est docere. Etsi enim non defuerint Philosophi, quibus æqualia esse peccata & recte facta viderentur, paradoxam tamen illorum sententiam ex iis, quæ de obligatione, lege & libertate alibi tradita sunt, facile est refutare.

Rationem, ob quam Stoci peccata omnia esse paria arbitrarentur, exponit LAERTIUS L. VII. seg. 120. *Quia uti verum vero magis tale non est, neque falsum falso, ita nec peccatum peccato, num qui magis minusve delinquit, pariter abest ab recto: Et jam lineas transfiliit: quod cum feceris, ut ait CICERO, culpa commissa sit, quam longe progrediare, cum semel transieris, ad augendam culpam nihil pertineat.* Paradox. III, c. I. Quare & Jcti in Stoicorum disciplina educati, eum, qui ex acervo frumenti modium sustulit, totius rei furtum facere, & illum, qui dolium aperuit, & inde parvum vini abstulit, totius furem videri, judicabant. L. 21, Dig. de furt. Quibus porro succinuit HORATIUS I. Epist. I, v. 55.

*De mille fabæ modiis quum surripis unum ,
 Damnum est, non facinus mihi pacto lenius isto.*
 Simili ratione arguebant Stoici actiones bonas pares esse inter se , quia si bene facta recte facta sint , & nihil recto rectius , certe nec bono quidem melius inveniri possit ; CICERO. Parad. III , I.

§. 171. Scilicet convenientia actionum liberarum cum lege illarum rectitudinem, repugnantia vero peccatum constituit (§. 82), sed legis robur ex obligationis quantitate, hæc vero ex momenti cum actione copulati pondere & viribus æstimatur (§. 77) ; satis itaque liquet , nunc majores , nunc minores leges a nobis posse custodiri , aut violari , & porro tam peccata , quam recte facta disparia aliquando esse oportere.

Pro obligationis magnitudinæ.

Quis igitur non miretur , inter præcepta Zenonis & illud recenferi : *Non minus delinquere eum , qui gallum gallinaceum , cum opus non fuerit , quam , qui patrem suffocaverit : CICERO pro Muræn. 29.* Sane quando istud Paradoxum exposuit Tullius ex mente Stoicorum , illud tamen inter servi & patris necem interesse tradidit : *Quod in servo necando semel peccetur : in patris vita violanda multa peccentur ; violetur is , qui procreavit ; is , qui aluit ; is , qui erudivit ; is , qui in sede ac domo , atque in republica collocavit : multitudine peccatorum præstet , eoque pæna majore dignus sit : ex quo loco abunde colligitur , etiam Zenonis æmulos , obligationes & leges alias aliis majores , &*

Q

deli-

delicta delictis praviora vel invites statuiffe.
Merito igitur in illos insurgit HORATIUS :

*Nec vincet ratio hoc, tantumdem ut peccet
idemque,*

Qui teneros caules alieni fregerit horti,

Et qui nocturnus divum sacra legerit.

I. Satyr. III, v. 115, seq.

Sed & laudata Ofilii & Trebatii doctrina,
quod furtum partis pro furto totius habeatur,
ab ULPIANO est explosa cit. L. 21,
Dig. de furt.

Ac liber-
tatis.

§. 172. Sed neque actionum bonitas,
vel malitia moralis aliter intelligitur,
quam si eadem ab agentis libertate (§. 62),
veluti effectus a suo principio & causa,
proficiscantur (§. 46); quum igitur
quantitas causæ quantitatem effectus
necessario determinet, & libertas, quæ
arbitrio & ratione agentis constat (§. 44),
jam diminui, jamque augeri pro re nata
possit (§. 45, §. 30), manifesto apparet,
varios quoque, & multiplices esse debere
libertatis effectus: dari porro moralitatis
quantitatem, atque hinc liberas actiones
bonas, vel malas, alias aliis honestiores
fieri, vel turpiores.

Id est, quod Romanæ leges passim inculca-
runt: *In maleficiis animum & voluntatem spe-*
ctari, non exitum, L. 14. Dig. ad L. Corn.
de Sicar. Ponitur autem voluntas pro liber-
tate, quia quælibet actio libera volitione,
aut nolitione continetur (§. 44). Et ita

eva-

evanescent Stoicorum argumenta. Nihil enim esse vero verius, nec falso quidquam magis falsum, inde venit, quia immutabiles sunt rerum essentiae, nec idem objectum magis esse vel non esse, quam re ipsa est, potest: contra causa moralitatis est agentis libertas, quam crescere, vel decrescere, & porro habere quantitatem qualitatis, seu gradum, minime repugnat. Nec illud minus manifestum est, alios magis, alios minus a scopo suo aberrare, & jam unam, jamve plures lineas transilire; unde conficitur, etiam legum transgressiones alias aliis majores, vel minores cogitari posse; quid! quod unam falsitatem duabus falsitatibus esse minorem nemo profecto negaverit. Igitur etiam bonitatem, vel malitiam moralem actionum incrementi, vel decrementi esse capacem non est dubitandum. Consentiant illa loca Sacrarum Litterarum: *Pro mensura peccati erit & plagarum modus*, Deuter. XXV, 2: *Pejus operati sunt quam patres eorum*, Jer. VII, 29: *Propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet*, Joh. XIX, 11: ad quæ non attendisse videtur MASCOV. in notis ad *Puffend. J. N. & G. L. I, c. 8, §. 1*, dum peccatorum æqualitatem saltem theologicam exsculpere voluit.

§. 173. Itaque in quantitatem moralitatis inquisiturus, actionem liberam ad *arbitrium & rationem* agentis, quasi ad *Atque arē bitrii & rationis gradu.* pondera, atque mensuram exigere debet, illamque eo meliorem, vel pejorem judicare, I. quo magis quis sponte sua egit; II. quo plures habuit in sua potestate

actionem determinandi modos; III. quo graviora denique agendi, vel non agendi momenta perspicere potuit (§. 44, *sch.*). Contra tanto magis honestati, vel turpitudini actionis decedere tenendum est, quanto minus id, quod factum est, vel *spontaneum*, vel fortuitum, seu *contingens*, vel rationi pervium, seu *intelligibile* fuisse reperitur.

Magnitudinem moralitatis SATURNINUS *causa, loco, tempore, quantitate, qualitate, & eventu*, L. 16, §. 2, D. de pœn.; HUG. GROTIUS vero *causa, quæ impulit, causa, quæ retrahere debuit, & idoneitate personæ*, de J. B. & P. II, C. XX, §. 29; PUFFENDORFIUS *objecto, effectu, & intentione*, de Off. H. & C. II, XIII, §. 16; BARBEYRACIUS ad Puf. de J. N. & G. I, VIII, §. 5, *re objecta, agentis qualitate, & conditione, ipsa actionum natura, & actionis exitu*, esse dimetiendam vere quidem, sed obscure nimis statuerunt: ast si hæc aliæque ad desumendam actionum moralium mensuram ab aliis excogitatæ regulæ cum dependentia actionis a libertate comparentur, plenam omnino accipient lucem: tres enim illæ notæ essentielles libertatis, nimirum spontaneitas, contingentia, & intelligentia, primo separatim, dein conjunctim consideratæ, cum quantitatem ipsius libertatis, tum moralitatis gradum indicabunt. Cf. DARIËS. *Instit. F. Un.* §. 161, sq. & Obs. J. N. XLI. Unde etiam vulgus intelliget, cur parricidium ultro, & ab homine maturæ ætatis patratum longe magis, quam

quam necem extraneo homini a puero fustigationis metu illatam detestemur.

§. 174. Actio, vel prætermisio libera singularis, quæ scilicet persona, loco, tempore, ceterisque adjunctis circumscripta est (§. 64), *factum* strictiore significatione (§. 48) nuncupatur: causa efficiens libera est *Auctor*; qui vero auctorem facti declarat, *imputare* dicitur. Itaque *imputatio* iudicium est, quo ejus actionis, vel prætermisio singularis auctor, seu causa efficiens libera esse affirmatur.

Quis dicatur actio-
nis au-
ctor?

Fingas Cajum tibi jugulationem Sempronii narrare, statim habes actionis genus: porro rem ordinae, quo gesta est, recenscat, atque omnes depingat circumstantias vulgato illo versiculo contentas: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*: S. THOMAS, I. 2, Q. VII, art. 3, & jam nosces actionem singularem, sive, quam vocant, *facti speciem*. Cf. SCHIERSCHMID. El. J. N. §. 119; & DARIUS. Obs. J. N. XLVI. Tunc vero adparebit, an & quis sit *Auctor* facti, CICERO *Ver. V, 26*; *Auctor necis*, L. 7, C. de his quib. ut ind.; *Auctor delinquenti*, L. 3, D. de nox. act.; & cuinam jugulationis attributum, seu prædicatum morale adscribatur, & actio imputetur. Nimirum *imputare* in re agraria jam erat vites, atque arbores non excindere, PLIN. H. N. XIV, 12; jamque, ut quidam putant, surculum plantæ inserere, seu inoculare, HOCHSTETER ad Puf. *Exerc.*

II, §. 39, not. a. Postea adhibita est illa vox in Arithmetica; dicuntur enim *putari*, seu confici rationes, CICERO *ad Att. IV, 11*; aut data & accepta in illas imputari, seu inferri, L. 19, 21, 29, D. *ad L. Falc.*, & hinc idem vocabulum ad rationes de moribus ineundas fuit translatum. Siquidem etiam in his perpenditur, quid aliquis debeat, aut quid ipsi debeatur, L. 6, §. 7, *de Off. Præs.*; L. 2, §. 8, D. *si quis caut. jud. sist.*; L. 4, C. *de peric. tut.* Consentiant loca PHÆDRI I. Fab. XXII, v. 8: *Noli*, inquit, *imputare vanum beneficium mihi*; & VEL. PATERCULI: *Si quis*, ait, *hoc rebellandi tempus, quo Athenæ oppugnatae a Sulla sunt, imputat Atheniensibus, nimium veri, vetustatisque ignarus est*, L. II, C. 23. Illud vero ex dictis patet, nemini ut auctori esse tribuenda consecraria, quæ cum ipsius actione non sunt copulata, aut quorum nexus non potuit prævideri. Ideo non statim imputari potest cauponi, qui vinum vendit, hospitis ebrietas; nec qui hominem suspectum domo abire jubet, homicidii auctor est, si hic per fenestram se præcipitem egerit. Cf. BARBEYRAC. ad Puf. *de Off. H. & C. I, I, §. 18, n. 2.*

Quid im-
putatio?

§. 175. Quum autem nulla existere actio moralis, aut factum possit, ad quod non aliquæ pertineant morales consecutiones (§. 64), præmia nimirum vel pœnæ (§. 74), sive merita generatim dicta (§. 143, sch. III); consequens est, ut auctor facti, etiam causa libera moralium consecratorum, seu meritorum declarandus

duſ ſit (§. 17). Quare diſtinctam dant imputationis notionem ii, qui illam dicunt: *Judicium, quo factum aliquod, & ejus confeſſaria ſeu merita libero alicujus arbitrio assignantur.*

Ita re ipſa imputationem definivit WOLFFIUS Phil. Pract. I, §. 527; cui præiverant PUFENDORFIUS de O. H. & C. L. I, C. I, §. 17; & THOMASIVS Fund. I, VII, §. 27: *Imputare enim, ait hic, eſſe declarare cauſſam moralem, ad quam debeat applicari effectus moralis.* Atque hinc moralem effectum, ſeu actionis confeſſarium ad libertatem alicujus relatum *mereri* agens dicitur. Ita PHÆDRUS III, Fab. XI, 6, *Id demum, ait, eſt homini turpe, quod meruit pati*; & OVIDIVS I. de Pont. El. I, 62: *Eſtque pati pœnas, quam meruiſſe minus.* Unde alia ſuit *meriti* ſignificatio, ab illa, quæ jus imperfectum deſignari ſupra diximus (§. 155), probe ſecernenda.

§. 176. Quoniam vero ex connexionemomentorum cum actionibus obligationes emergunt & leges (§. 71), nemo non videt, eum, qui imputationem facit, primo examinare, & tribuere alicui factum, dein animum ad facti confeſſaria, ſeu obligationem & legem reflectere, poſtea judicium, quo auctor ſanctioni legis ſubjiciatur (§. 74), elicere oportere. Atque idcirco imputationem alii in adplicatione legis ad factum, alii in judicio dif-

Hæc conſtat ratio-
cinio.

discursivo, seu ratiocinio de moralitate actionis singularis collocarunt.

Juvat doctrinam imputationis severo Junii Bruti exemplo illustrare. Is detecta a Vindicio filorum conjuratione de recipiendo Rege, litteras ad Tarquinium datas *primum ex utriusque sigillo, dein etiam e manu agnovit, postea filiis dicendi, si velint, dedit copiam; cumque neuter auderet negare, eos observatis legibus, quæ de maleficiorum suppliciis erant receptæ, securibus decollari sivit*; DIONYS. HAL. p. 283. Contra servo, conjuratorum indici, pecunia ex ærario, libertas, & civitas data est, LIVIUS II, 5. Itaque Brutus primo factum illud cognovit singulare: *Filios perduellionis reos esse*; porro ei occurrit legis idea: *Perduellis capitalis esto*; atque ex duabus hisce præmissis deduxit conclusionem: *Ergo Filii pœnam capitale promerentur*; adeoque propositionem minorem sive factum ad propositionem majorem, nimirum legis sanctionem applicavit, & de actionis turpitudine non ex ejus intuitu, sed ex singularibus circumstantiis ratiocinando tulit judicium. Quomodo autem Vindicio meritum, seu præmium detectæ proditiõis assignatum sit, ex dictis jam patebit.

Tam quo-
ad factum,
quam
quoad jus.

§. 177. Inter actus, ex quibus constat imputatio, unus est, quo factum; alter, quo facti merita auctori assignatur (§. 176): priorem actum imputationem *facti*, posteriorem imputationem *juris* nuncupant, atque inde colligunt, in quovis ju-

judicio imputatorio tres cogitatione saltem discerni posse personas : unam , quæ imputet factum ; alteram , quæ imputet jus ; tertiam , cui & factum & jus imputetur ; quia tamen nemini jus imputari sine facto potest , non obscurum est , imputationem facti , & imputationem juris non esse imputationis formas , sed tamquam partes ad unam plenam integramque imputationem pertinere.

Igitur in superiori exemplo Vindicius *factum* , Brutus vero *jus* adolescentibus Romanis imputarunt : ille *actoris* , ille *judicis* , hi vero *reorum* personas sustinebant. Ast uti hæc personarum distinctio sæpe animo tantum , & mente fieri potest ; ita actoris & rei vocabula ad pœnæ potius , quam præmii imputationem pertinent : quoniam vero post imputationem facti , an legis edicto illud conveniat , vel disconveniat , exquiritur , & demum succedit imputatio juris ; ideo definitio imputationis a KOELERO Ex. §. 381 ; & HEINECCIO El. J. N. I. §. 95 , aliisque passim tradita , quod sit *applicatio legis ad factum* , iis non probatur , qui non tam legem , quam potius meritum lege statutum , seu legis sanctionem ad factum adplicari arbitrantur ; WOLF. Ph. Pr. I , §. 598 , sch. ; DARIUS. I. J. U. §. 225 , sch. Enim vero lex a sanctione separari nullo modo potest (§. 74) ; igitur , qui adplicat legis sanctionem ad factum , legem quoque ad illud adplicare necesse est. Sunt denique , qui duas , facti scilicet & juris , imputationes dari negant ,

gant, quod una imputatio utroque tam facti, quam juris iudicio semper absolvatur, MULLER. Ph.Pr. Un. §. 299; ACHENWALL. Obs. J. N. Spec. II, §. 9. At non illam esse imputationis divisionem, sed tantum vocis ambiguae minorem, aut majorem potestatem exponi, antea vidimus, SCHIERSCHMID. El. J. N. §. 63; DARIUS. Obs. J. N. XLII, §. 21.

Est vera
vel falsa.

§. 178. Nititur itaque omnis imputatio iudicio discursivo, seu ratiocinio (§. 176), quod cum verum esse possit, vel falsum (§. 29), consequens est, imputationem in *veram* seu rectam, & *falsam* seu errantem non inepte distribui. Quare vera erit rectaque imputatio, si nec in idea facti, nec in idea legis, nec in utriusque inter se copulatione ulla occurrat repugnantia. Contra fallaciam instituunt in imputando, qui vel facto, vel lege, vel facti ad legem adplicatione aberrant.

Scilicet, ut falsus syllogismus vel in materia peccat, seu principiis, vel vero in forma, seu conclusione; ita & imputatio exceptione vel facti, vel juris, vel modi certum factum cum certo jure connectendi refutatur. Factum ergo quod attinet: *Exploranda est veritas multum prius, quam stulta prave judicet sententia*, PHÆDR. III, 10, 5. Præterquam quod enim *minima*, ut ajunt, *circumstantiæ mutet casum*, seu facti speciem:

*Aliquando & illi peccant, quos minime putes.
Et, qui non peccant, impugnantur fraudibus:*

Idem

Idem III, X, 52, sq. Nec defuerant unquam homines lupi, *qui fictis cauffis innocentes opprimunt*, Idem I, I, 15; veluti Tarquinius, qui Turnum *objecto falso crimine infontem neci dedit*, LIVIUS I, 51. Dein clara & distincta tenenda est legis cognitio, corrui enim imputatio, si nulla hujusmodi lex fuerit, ut si jam sublata sit, cujus rei exemplo *onus circumcisionis* esse potest, Act. XV, 28. Postremo si verum factum sit, & vera etiam lex, videndum tamen ratione formæ, an actio singularis sub data lege, tam quoad *prædicatum*, genus facti, quam quoad *subjectum*, facti auctorem, contineatur. Perperam igitur Pharisei opus in necessitate susceptum, quasi legi de sanctificando sabbatho esset adversum, in pœnam imputabant, *Matth. XII, 10, sqq.* Verissime autem PHÆDRUS: *Hoc admonere simplices etiam potest, opinione alterius ne quid ponderent, ambitio namque dissidens mortalium aut gratiæ subscribit, aut odio suo*, III, X, 54, sqq.

§. 179. Prout dein facti & juris cognitio ex ratione sufficiente vel non sufficiente arcessitur, etiam imputatio *certa* alia est, alia autem *incerta*: quæ posterior, si ad veritatem accedat magis, quam recedat, verosimilis dicitur & *probabilis*, si autem ad falsitatem propendeat magis, quam ad veritatem, quamvis penitus convelli, & inter apertos errores referri non possit, tamen *improbabilis*, nec similis vero (§. 137, sch.) nuncupatur. Atque ex his consequitur, ut primo, quo plures vel pau-

Certa vel
incerta.

pauciores veritatis occurrunt notæ, eo *probabilior*, vel *improbabilior* fiat imputatio; dein ut tamdiu *dubia* hæc hærere debeat atque suspensa, quamdiu rationes auctorem facti & confectariorum affirmandi, vel negandi sunt æquales (§. 26).

Certa igitur erat imputatio, qua Duumviri Horatium sororicidam morte dignum iudicabant, quia tam de facto, quam de lege sufficienter constabat. Et hinc populus Rom. reum absolvisse dicitur *magis admiratione virtutis, quam jure causæ*, LIVIUS I, 26. Ast Miloni Clodium insidias collocasse probabiliter tantum confecit CICERO *pro Milon.* X, qui probabilem narrationem vocat, *si in ea videbuntur inesse ea, quæ solent apparere in veritate*, Invent. I; *sive id falsum est, sive verum*, ibid. c. 29. Etsi enim non detur probabile in se, & omne quod verum est, in se certo verum sit, quia simul esse falsum non potest; sæpe tamen probabile datur propter imperfectionem intellectus nostri, quoties plura quidem, sed nondum sufficientia indicia veritatis sese offerunt, sive ea *interna* sint, & ex ipsius rei natura, sive *externa* & ex aliorum declaratione orta: quæ posteriora tamen sine prioribus nullum in scientiis pondus habent. Itaque tenendæ sunt illæ Dialecticæ regulæ. I. Non omne quod possibile est, ideo esse etiam probabile: ita tribus si ludas tesseriis, decem & octo puncta cadere quidem statim possent, ast id eventurum verisimile non est. II. Eandem propositionem posse uni esse certam, vel probabiliorem, quæ alteri in-

certa est, aut improbabilis, uti illa olim fuerat: *existunt antipodes*. III. Neminem tamen contrarium ejus, quod certo scit, posse probabile judicare. IV. Et denique animum libræ naturam habere, quæ perinde maneat in æquilibrio, sive æqualia in utraque lance, sive nulla prorsus pondera imponantur (§. 32, sch.); DARIUS. Obs. J. N. LVII.

§. 180. Nunc quid imputationis sub-
jectum sit, quidve objectum, & quodnam
illa habeat fundamentum, haud difficul-
ter perspicitur. Primo enim imputatio iis
tantum fieri potest, qui agendi libertate
sunt instructi (§. 174); dein in omnibus
versatur actionibus, quæ aliquam habent
moralitatem (§. 175); & demum a qua-
dam semper pendet obligatione & lege,
quibus actio imputanda comprehendatur
(§. 176); quare, quæ a nonnullis statui-
tur, imputatio physica a recepto loquen-
di usu penitus abhorret.

Imputa-
tionis sub-
jectum,
objectum,
& funda-
mentum.

Quemadmodum, qui nummos accipit, illos non in dantis, sed ejus, cujus voluntate accepit, rationes refert; ita non motus actionis physicus, sed moralis, & qui pendet a libertate, imputari dicitur. Hinc *initium belli*, ut observat TACITUS, Ottoni *nemo imputabat*, quod a suis penne esset *coactus*, Hist. II, 31. Nec quisquam bovi corrupetæ illatum sibi nocumentum duxerit imputandum, sed domino, in cujus potestate fuerat bovem custodire, *Exod. XXI, 28*,

29. Solent quidem sæpius aliorum facta veluti parentum liberis jam prodesse, jam nocere; aut fortunæ ille est, aut infortunii effectus (§. 147), non (ut ait HEINECCIUS El. I. N. I, §. 105) imputationis: si enim bona vel mala meriti generi non subsunt, ea ut præmia, vel ut pœnas tribuere, adeoque & imputare repugnat (§. 175, & §. 74. sch.). Ceterum ratio, ob quam actio capax est imputationis, recte quidem vel ab illius dependentia a libertate, PUFFENDORF. de O. H. & C. I, I, §. 17, vel, quod idem est, ab ejus moralitate arcessitur, DARIUS. I, J. U. §. 217; attamen ipsi imputationi locus aliter esse non potest, quam si factum ad obligationem aliquam & legem referatur (§. 176), ACHENWALL. *Obs. J. N. Sp. II, §. 9, sch.*; quorsum spectant verba Apostoli: *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio*, Rom. IV, 15. Sed nec ulla est actio singularis, seu factum liberum eo sensu indifferens, ut nec moraliter bonum dici possit, nec malum (§. 64).

Causa
actionis
solitaria,
auxiliatrix,
præcipua,
subjecta.

§. 181. Quæ hætenus de actione auctori imputanda generatim diximus, ea ad quamlibet causam liberam efficientem, seu ad omne auctoris genus applicanda sunt. Est autem hoc duplex, quidam enim sua tantum vi agunt, & dicuntur causæ actionis unicæ, seu *solitariae*; quidam autem alteri agenti vires suas accommodant, & sunt causæ auxiliatrices, seu *sociæ*. Quum vero quæ sociæ sunt causæ, non eadem semper sese

ex-

exferant efficacia , novæ etiam illarum nascuntur formæ ; quæ enim pari vi operantur *æquales* , secus *inæquales* ; dein quæ plus ad factum conferunt , *præcipue* , quæ minus , *administrate* ; tum quæ ita actionem antecedit , ut nulla alia interjecta sit , *proxima* , ceteræ *remotæ* ; denique , quæ effectum per se producant , *immediate* , quæ per alium effectui tribuunt existentiam , *mediate* nominantur.

Mortis Remo illatæ causa unica fuit Romulus , LIVIUS l. 7 , qui dein ipse a Patribus socia & æquali opera de medio fuit sublatus. Idem I , 16. Lucretia proxime & immediate se ipsam interemit , at remote & mediate a Sext. Collatino ad id fuit impulsus. Idem I , 58. Porro Tarquinii expellendi præcipuus & mediatas auctor exstitit Brutus , sed reliquos adhibuit cives , ut causas immediatas , & administras , DYONISIUS HAL. IV , p. 276 , sq. Differt autem causa proxima ab immediata , quod proxima ad remotam necessario referatur , immediata vero etiam sine mediata intelligi possit. Cf. GUNER. *Comment. ad DARIUS. §. 178.* Ceterum per se patet , operationes rerum , veluti motus animalium , aut agendi instrumenta , uti fustes , gladios , venena , causas tantum esse physicas , ac instrumentales , adeoque huc non pertinere.

§. 182. Ad causas mediatas seu morales in specie dictas ii porro accensentur ,

Quæ causæ
sunt morales
speciatim.

tur, a quorum libertate actionem ab altero patrari, vel non patrari quodammodo pendeat, quod quidem quatuor contingere modis potest. I. Si nimirum quis actionis *ideam* sermone, exemplo, aut consilio (§. 75) alteri producat. II. Si illius *voluntatem* imperio (§. 141), precibus, minis, palpatione ad agendum permoveat, sollicitet, instiget, exhortetur; aut saltem agere volentem, idem se velle declarando, seu adjecto consensu confirmet. III. Si actionis suscipiendæ, vel occultandæ locum, tempus, modum, aliave idonea suppeditet *remedia* (§. 80). Si demum IV. actionem molienti non inferat, cum possit, vel verbis vel factis *impedimentum* (§. 81). Hos enim cunctos influisse in actionem, ejusque esse participes, atque consortes manifestum est (§. 17).

Pleræque hæc morales causæ notis illis memorialibus versiculis comprehensæ sunt:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,

Participans, mutus, non obstans, non manifestans:

D. THOMAS 2, 2, q. 62, art. 7; quarum sex priores actionis sunt causæ positivæ, tres reliquæ vero privativæ (§. 48), & ideo etiam Romanæ leges facti consecraria iis assignarunt. Nam I. ut ait Jctus Paulus: *Is damnum dat, qui jubet dare*, L.

169, de R. I., *si modo jus imperandi habuit*,
 L. 37, pr. D. ad L. Aq. 11. Etiam alios
suadendo juvisse sceleris est instar, L. 10,
 D. de poen.: hinc qui malum hortatus est, vel
malum monstravit, tenetur, L. 1, §. 1, D.
 de serv. cor.; dummodo vincibilis subit intel-
 lectus vel voluntatis defectus (§. 82); quo
 sensu recte dixit CICERO: *Quid debet, qui
 consilium dat, prestare præter fidem?* ad
 Attic. XVI, 7. III. Ita quoque, *Si ser-
 vus sciente domino noxam commisit, suo no-
 mine tenetur*, L. 2, D. de nox. act., & *cre-
 ditum filio volente patre huic attribuitur*,
 L. 2, C. ad Sct. Maced.; *scientiam tamen
 spectare debemus, quæ habet voluntatem*, L.
 1, §. 2, D. si fam. furt., L. fin. §. fin. D.
 de naut. caup. IV. *Nec oportet laudando (pal-
 pando) augeri malitiam*, L. 1, §. 4, D. de
 serv. corr. V. *Receptatores vero in pari causa
 sunt habendi*, L. 1, D. de recept.; *Recipere
 autem est refugium abscondendi causa prestare*,
 L. 1, §. 2, D. de serv. corr. VI. *Nec mi-
 nus qui occasionem (seu remedia) præstat,
 damnum fecisse videtur*, L. 30, §. p., D. ad
 L. Aq.; & *particeps furti est, qui furtum
 non fecit, si vires alterius suis viribus suf-
 ficientes reddit, & ejus ope furtum factum
 est*, §. 11, Inst. de obl. quæ ex del. VII.
 Eodem modo mutus, id est, *qui prohibere
 potuit (& debuit), tenetur, si non fecerit*, L.
 45, D. ad L. Aq. VIII. *Quemadmodum
 non obstans, seu qui non facit, quod facere
 debet, videtur facere adversus ea, quia non
 facit*, L. 121, D. de Reg. Jur. IX. Deni-
 que & consciis conjurationis, aut criminis
 læsæ majestatis idem imputatur crimen, si

non manifestant , L. 5 , §. 6 , & 7 , ad L. Jul. maj. Ast *vizio caret , qui scit , sed* (vel per se , vel per alium) *prohibere non potest* , L. 50 , D. de R. J. , L. 4 , D. de nox. act. Etsi vero qui in actionem jam patratam consentit , id est , *ratihabet* , eam laudat , non manifestat , aut recipit patratorem , suo non careat merito ; attamen is facti jam præteriti auctor ideo dici nequit (§. 147) , adeoque secuta ratihabitio precedenti consensui non semper æquivalet. Cf. GROT. de J. B. & P. II, C. XVII, §. 6 , sqq. ; DARIËS. Obs. J. N. XLV.

Actio non imputatur, si careat spontaneitate.

§. 183. Quum objectum , seu materia , in qua versatur imputatio , sint tantum actiones morales , seu liberæ (§. 180) , morales autem dici nequeant , nisi sint spontaneæ , contingentes , & ab homine rationis compote susceptæ (§. 173) ; consequens est , ut mutationes , quæ sine spontaneitate , contingentia , & intelligentia in nobis existunt , imputationem non admittant , & hinc ; ut ex defectu SPONTANEITATIS , nec I facta unice ab altero producta , nec II nudas perpeffiones , nec III actiones , ut quidam vocant (§. 48 sch.) , simpliciter coactas , nec IV casus fortuitos , seu eventus ex *fortuna* , hoc est , ex improvise , aut saltem inevitabili causarum nexu emergentes , nobis in præmium , aut in pœnam imputari oporteat.

Injustæ igitur erant leges quorundam populorum , ut propinqui eorum , qui Regi insidiati erant , cum ipsis necarentur, CURTIUS VI , C. ult. Contra non modo legibus Moy-
 sis cautum est : *Non occidentur patres pro filiis , nec filii pro patribus , sed unusquisque pro peccato suo morietur*, Deuter. XXIV , 16 , IV. Reg. XIV , 6 ; sed etiam Romani Imperatores rescripserunt : *Peccata suos teneant auctores , nec ulterius progrediatur metus , quam reperiatur delictum* , L. 22 , Cod. de poen. Quæ vero quis ex alieno tantum peccato sentit mala , non imputationi , sed infortunio esse adscribenda jam supra observavimus (§. 180 , sch.). Cf. GROT. de I. B. & P. II , XXI , §. 9. II. Sed nec infanti eviratio , nec feminæ vis major ei illata jure exprobratur , siquidem corpus tantum violatum est , animus insons , LIVIUS I , 58. Idem de foeda noxiaque dicendum perceptione , si modo attentio , quæ jam pendet a libertate (§. 42) , evitetur. III. Nec impia esset manus , quæ vi apprehensa thus ad aram idolorum succenderet , nec si *impulsi procedimus iectu , & viribus alterius magnis , magnoque coactu* alicui noceamus , nobis id objectari poterit ; *nam tum materiam totius corporis omnem , perspicuum est , nobis invitis ire , rapique*, LUCRET. II , 272 ; ut non majore tunc utamur spontaneitate , quam gladius , aut fustis. IV. Denique incendia e coelo orta , ruinae , naufragia , & quæ sunt hujusmodi , nemini sunt objicienda : *Quis adeo iniquus , ait TACITUS , ut sceleri assignet , quod venti & fluctus deliquerunt?* Anal. XIV , 3. Atque ex hoc principio tutoribus &

curatoribus fortuitos casus, adversus quos cavere non potuit, imputari non oportere, saepe rescriptum esse, ait PHILIPPUS L. 4, C. de per. tut. & cur. Aliter vero ignarum vulgus saepissime judicavit, veluti Burgundiones, qui imputabant Regi suo, si segetum copiam terra negaverat, AMM. MARC. XXVIII, 5; quorsum spectat illud Ovidii:

Scilicet in superos etiam fortuna lueda est:

Nec veniam laeso numine casus habet.
Trist. II, 107.

Si non sit
fortuita
agenti.

§. 184. Et quia actiones vel simpliciter necessariae, vel simpliciter impossibiles, carent CONTINGENTIA (§. 37), aperte colligitur, neminem eorum declarari auctorem posse, quae vel in ipso fiunt necessitate intestina, vel facere is praetermittit, quoties nulla reperitur agendi occasio (§. 80), aut imbecillitas naturalis, quam scilicet superare non est in nostra potestate positum, obsistit: si enim vires suas quis libere detriverit, sibi que ademerit potentiam agendi, quin ejusmodi praetermissiones ad illius referantur libertatem (§. 46 sch., & §. 17), & porro ei imputentur (§. 174), non est dubitandum.

Ex his patet veritas regulae Juris Canonici:
Imputari non potest ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum erat faciendum; C. 41, X, de R. Jur. Quis igitur nimiam proceritatem, dotium naturalium defectum,
cæ-

cæcitatem, surditatem alicui vitio dabit; & quis non indignabitur Lacedæmoniis, qui cum, qui magnis commotis tempestatibus hostias ad sacrificium non præbuerat, capitis arcesserunt, CICER. Invent. II, 31. Secus foret, si actio præcedens libera minus recta improvisum eventum produxerit, & infirmitas fuerit acquisita, quam probe distinguit ULPIANUS: *Neque iterum permittendum, inquit, si quid sit, quod ei imputetur, causari tempestatem, vel vim fluminis; L. 2, §. 8, Dig. si quis caut. in jud. sist.*

§. 185. Denique ex defectu INTELLIGENTIÆ I. actiones, quas quis in statu morali imperfecto, veluti furore, infantia, dementia (§. 55) patravit, respuunt imputationem (§. 183). II. Quod ipsum de illis mutationibus dicendum est, quæ vel ex insuperabili juris, aut facti ignorantia (73), vel III. ex summa ebrietate involuntaria, vel IV. ex dormientis phantasmate seu somno, seclusa ratiocinandi facultate, obveniunt: ubi vero veritatem magis perspicere, & a noxio potu sibi cavere, aut imagines in dormiendo reproductas non copulare a libero agentis pendebat arbitrio, adest jam moralis actionum causa, cui morales etiam effectus assignandi sunt (§. 17).

Vel in ejus intelligentiam non cadat.

I. Etsi actiones infantum & furiosorum sint arbitrariæ, tamen non magis sunt liberæ, quam actiones quadrupedis, L. 5, §. 2, D. ad

ad L. Aq. Quare *infans vel furiosus*, si hominem occiderint, lege *Cornelia* non tenentur; cum alterum innocentia consilii tuetur, alterum fati infelicitas excusat; L. 12, D. ad L. Corn. de sic. II. Facti ignorantia sæpe est insuperabilis, adeoque & legis positivæ (§. 121), & tunc nec obligationi (§. 72), nec imputationi (§. 180) locus esse potest. Igitur mortem non fuerant promeriti navigantes, qui, ad portum extraneum delati, vitulum Dianæ immolaverant ignari legis id prohibentis sub pœna ultimi supplicii, CICERO Invent. II, 31. Sunt etiam cognitiones, quas capere unus obligatur, non autem alter, & quarum porro ignoratio illi, & non huic imputari debet. III. Est quidem omnis fere ebrietas *insania voluntaria*, ut ait SENECA Epist. 83; facta igitur illicita in hujusmodi ebrietate patrata ad agentis libertatem referuntur, cujus fuerat in potestate potui moderari: ast si voluntaria sit ebrietas, & tanta, ut tollat rationis usum, actiones, quæ illam consequuntur, nec in se liberæ sunt, nec in sua causa, & ideo imputationis incapaces. IV. Et quia nihil tam incondite cogitari potest, quod non possimus somnare, & imagines sæpe veniunt non vocatæ, CICERO Divinat. C. VI, & N. D. I, 38, patet nec somnia qua talia imputari posse. Enimvero si quis vigilans ea provocet liberis cogitationibus, vel dormiens opprimat infantem, quem antea in lectum acceperat, non minus pœna dignus est, quam qui equos regere indoctus habenas sumit, & prosternit viatorem, L. 27, §. 9, D. ad L. Aq. Adposite ad hanc rem ULPIANUS: *Sicuti*

medico, inquit, *imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commisit, imputari ei debet*, L. 6, §. 7, D. de off. Præf. Et generaliter vincibilis est intelligentiæ defectus: *Se immiscere rei ad se non pertinenti*: L. 36, D. de R. J.

§. 136. Visa hæcenus imputationis materia sequitur, ut etiam de ejusdem quantitate (§. 77) disseramus: causa nimirum & fundamentum, ob quod imputari facta possunt, est eorum moralitas (§. 180), quæ ipsa in proventu actionum a libertate collocatur (§. 62): quia vero ex quantitate causæ quantitatem effectus oportet dimetiri (§. 172), palam est, mensuram imputationis in magnitudine & gradu moralitatis (§. 173), adeoque libertatis contineri; unde consequitur, ut eo magis minusve quis sit actionis auctor, & hinc eo majore vel minore præmio, aut pœna dignus judicandus, quo ampliore vel angustiore arbitrio & ratione in agendo est potitus.

Ex gradu moralitatis accipitur imputationis mensura.

Hæc igitur sunt *æstimationes*, quas in factis coercendis adhiberi oportere docet PAPI-
NIANUS L. 41, D. de pæn. Quæ enim aliter fieret imputatio, justitiæ vel remuneratoriæ, vel ultrici (§. 166), sive, ut alii loqui malunt, æquitati repugnaret objectivæ, quæ in proportionem inter actionum consecutiva & earum libertatem collocatur. Cf. DARIUS. I, J. U. §. 227, sq. Inde apte colle-

legit GUNDLINGIUS J. N. C. IV, §. 34, quam absurdum sit contemnere mensuræ moralis doctrinam: etsi enim in hoc recte sentiant, actionem illi imputari, qui ejus sit auctor, turpiter tamen cæcutiant, quum nihil amplius discendum hac parte statuunt. Semper enim quærat, *quæ voluntas & quanta?* In hos itaque cuditur illud HORATII I. Sat. III, 78, sq.

cur non

*Ponderibus, modulisque suis ratio utitur?
ac res,*

Ut quæque est, ita suppliciiis delicta coerces.

Etsi autem DEMOSTHENES in pœna non ita nude spectandam æqualitatem scripserit, ut in *ponderibus & mensuris*, is tantum loquitur de æqualitate physica; addit enim: *sed expendendum esse propositum ac votum ejus, qui deliquit*; Epist. III. pro Lycurg. pag. 114, B. Illud vero omnino advertendum est, sermonem hic fieri de mensura pœnæ, quam quis meretur, non autem pœnæ, quam ab eo exigere oportet; hujus enim mensura ex fine pœnarum desumenda est, ut bonitati per sapientiam administratæ satisfiat (§. 168, sch. 2). Quare acute, uti solet, HUG. GROTIUS duo in pœnis esse sectanda animadvertit, *id ob quod*, scilicet meritum, & *cujus ergo*, id est, pœnæ scopum, II, XX, §. 28, & §. 20, n. 4. Hujus enim causa aliquando remittitur pœna, & legis gratia fit (§. 87, sch.). Cf. DARIUS. Obs. J. N. XL, §. 6, sq. Quo sensu APOSTOLUS *beatum* vocat eum, *cui Deus non imputaverit peccata*, Rom. IV, 4.

§. 187. Arbitrium vi quadam efficiente interna sese exerere, supra est ostensum (§. 49): quum autem hæc interna vis eo major esse debeat, quo plura investiganda sunt agendi remedia, aut tollenda impedimenta (§. 186); consequens est, ut actiones faciles, & ad quas comoda atque idonea se præbet occasio, minus imputandæ sint, quam difficiles, quæque non antea patrantur, quam occasione circumspecta. Et quia extrinseci eventus ac circumstantiæ, quæ nos ad aliquid faciendum vel non faciendum hortantur, partem occasionis constituunt (§. 80); illud etiam conficitur, eo minus imputari factum vel non factum, quo plures exstiterant hujusmodi extrinsecæ stimulantæ causæ; & contra tanto magis utriusque imputationem augeri, quo fortiora præsto fuerant momenta, quæ impellebant auctorem, ut ageret potius contrarium.

Actio facilis minus imputanda est, quam difficilis.

I. Igitur si cetera omnia sint paræ, actio æqua illi minus imputatur, qui rebus abundat externis, quam qui premitur eestate, quod ipsum docuit Divina Veritas, cum enim divites jactarent multa in gazophylacium templi, venisset autem vidua una pauper, & mitteret duo minuta, dixit JESUS discipulis: *Quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit*: Marc. XII, 43. II. Contra actionis iniquæ majorem luere debet pœ-

pœnam opulentus , quam indigus ; alteri enim parata erat alios perficiendi occasio , alteri non erat : *Non enim* , ut ait D. CHRISOSTOMUS , *omnis legis transgressio eandem pœnam meretur , sed graviolem , quæ facile corrigi poterat : X , de statutis*. Quem in modum quoque scripsit TERTULLIANUS , *difficilium facilem esse veniam , & quanto potestas vitandi fuit , tanto contumaciæ crimine onerari* , Lib. II , ad uxor. c. 1 , & 3. Idcirco inopinata furandi opportunitas aliquam meretur excusationem , qua digni utique non sunt , qui majori conatu & impetu in res alienas involant. Denique ob eandem causam *luxuria sum omni ætati turpis , tum senectuti fœdissima* dicitur , CICER. Off. I , 34.

Invita minus, quam
ultronea.

§. 188. Ex eodem principio colligimus , curactiones ultroneæ , lubentes (§. 47) , ex voluptate (§. 25) , atque extra statum collisionis susceptæ magis impudentur , quam actiones invitæ sive secundum quid coactæ , & quæ vel ex ægritudine vel obveniente collisionis statu (§. 88 , sch. 3) perpetrantur ; nec minus , cur , qui injuste agit , majori obnoxius sit imputationi , quam qui agit inique. Præterquam quod enim facilius sit non nocere quam prodesse aliis (§. 81 , sch. 4) , lædendi etiam jus cogendi tribuit læso (§. 153) , adeoque majora superat impedimenta , quam alter , a quo officia imperfecta vi non possunt extorqueri (§. 155) .

Si quis mortis , doloris , egestatis , aut dedecoris vitandi causa a lege desciscat , poena quidem digus est , ast non tanta , ac si eandem legem violasset nullis hisce externis momentis impulsus : quorsum spectat illud OVIDII de adulterio a Lucretia ob necem ignominiosam imminentem admissio :

Dat veniam facto genitor conjuxque coacto.
Fast. II , 819.

Ita peccat quidem inferior , qui jussu & metu superioris eum , quem certo scit innocentem , jugulat ; magis tamen peccaturus , si hunc sponte tantum sua trucidaret : qua in re merito notarunt viri docti Puffendorhium , quod facinus gravi potentioris hominis metu extortum non magis *imputari nobis posse* putet , *quam gladio , aut securi* ; de off. H. & C. I, C. I , §. 24. Sane voluntas cogi physice non potest (§. 42) , libera igitur est hujusmodi actio (§. 43) , adeoque & moralis & imputationi subjecta (§. 180). Rectius philosophatus est JUVENALIS :

*Summum crede nefas animum præferre pudori ,
Et propter vitam vivendi perdere causas.*
Sat. VIII. v. 83.

III. Porro summum fuit Catilinæ scelus , qui insana agitated voluptate necavit filiam , ut vacuum domum faceret scelestis nuptiis , SALLUST. *Catil.* XV ; ast excusatius videbatur factum Smyrneæ feminæ , quæ ex ægritudine virum & filium interemit , cum ab his optimæ indolis juvenem , quem ex prior viro enixa fuerat , occisum reperisset ; GELL. N. A. XII , 8. IV. Gravis etiam fiet imputatio illi , qui hominem extraneum perduellionis reum occultaret ; ast minus arguetur

tur filius, si salutem patriæ anteponens salutem patris hujus reticeat prodicionem, & in collisione falsam exceptionem instituat, minori enim is gaudebat contingentia, cui aut patriam perdere, aut prodere patrem erat necesse. CIGERO off. III, 23. V. Denique fatius est pauperi eleemosinam denegare, quam rem alienam detinere, & propterea Phocion petentibus se congiarium respondit: *Hosce poscite divites, me vero puderet, vobis si largirer, huic (scilicet creditori) non solverem*; PLUTARCH. *Phoc.* p. 745. Non ergo verum est, quod ait DARIESIUS l. J. Un. §. 166, cor. I, actiones interne inhonestas moralitatis gradu actiones externe inhonestas superare, nisi potius verba errore typi sint transposita, contrarium enim in suo discursu germanico probavit l. c.

Contra
causæ
præcipuæ
magis
quam sub-
jectæ.

§. 189. Quoniam vero causa remota se ipsam ad agendum determinat, causa autem proxima ab altera ad agendum excitatur (§. 181), in promptu est, illius actionem rigidius, quam hujus, esse expendendam: unde etiam intelligitur, causam præcipuam majori subesse imputationi, quam causam subjectam (§. cit.); & hinc ei, qui aliquid jubet fieri, vel requisitus consentit, ut fiat, graviores assignandas esse consecutiones, quam illis, qui jubentis & volentis negotium unice expediunt, silent, adsentantur (§. 182).

Generatim quicumque alterius agendi conatum excitat, magis ad actionem concurrat, quam qui appetitum tantum nutrit, aut ei non renititur; in illum ergo majorem, quam in hunc cadere imputationem necesse est (§. 186). Ideo observavit JCTUS, *aliud esse auctorem fieri servo delinquenti, aliud pati delinquere*; L. 3, D. de nox act. Hanc secutus est proportionem Lævinus Agrigento recepto, *qui capita reorum erant, virgis caesos securi percussit, ceteros prædamque vendidit*, LIVIUS XXV, C. 40; sed etiam jam major, jamque minor esse potest excitationis aut auxilii gradus, quo respexit JUVENALIS scribens:

*Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto, qui peccat, major
habetur.* Sat. VIII, v. 140.

Vulgata autem juris Romani regula, *ejus nullam esse culpam, cui parere necesse est*, L. 167, & L. 169, de R. J., vera tantum est, si necessitas sit physica, aut si propter collisionem lex fortior debiliori præferatur (§. 88). Ceterum quod diximus, causæ remotæ actionem magis imputari, quam proximæ, ita capiendum est, si cetera omnia sint paria; fieri enim potest, ut propter adjunctorum varietatem major deprehendatur moralitas in causa subjecta: veluti si quis acerbo agitatus dolore, minusque sibi conscius suadeat homicidium, alter vero illud animo sedato lubenter, & cum voluptate exequatur. Sed nec causæ remota confundi debet cum eo, a quo incitatio, nec consentiente facti sumitur occasio, veluti si femina amasio daret repulsam, & hic præ mœrore se suspenderet (§. 174, sch.). Cf. CICERO de *Fat.* XV.

Quenam
agendi
momenta
augeant
imputa-
tionem.

§. 190. Quomodo imputationis quan-
titas ex spontaneitatis & contingentiae seu
arbitrii gradu cognoscatur, satis dictum
est: sequitur, ut merita ac demerita
etiam rationis vi & magnitudine deinceps
ponderemus. Pendet autem ratio ab at-
tentionis, reflexionis, & intelligentiae fa-
cultatibus (§. 28), atque ejus robur
idearum distinctarum numero, claritate, &
facilitate aestimatur (§. 29); ex quo con-
sequitur, ut quo magis quis cogitationem
in factum defixit, quo plures ejus partes
vidit, quo distinctius totam ejus essentiam
perlustravit, quo ampliora denique ac for-
tiora agendi, vel non agendi momenta ex
ipsa actionis idea perspexit, eo majus etiam
praemium vel poena ipsi debeatur. Sane uti
pro momentorum copia multiplicatur obli-
gatio (§. 77), ita obligationis incremento
moralitas intenditur (§. 171); quin igitur
etiam imputatio iisdem progressionibus
augeatur, frustra esset dubitare (§. 168).

Igitur I. actio interne honesta vel aequa ma-
gis imputatur, quam decora, aut tantum
externe justa; haec enim nonnisi causae ex-
terioris impulsu, illa vero etiam ex motivis
ab actionis idea haustis perpetratur (§. 163).

II. Porro quia agendi momenta ex conside-
ratione divinarum perfectionum desumpta
omnium sunt maxima (§. 59, §. 88), per-
spicuum est, actiones pias bonitate & meri-
to, contra impias malitia & demerito, cete-

ras omnes superare (§. 64 , sch.) , quorsum pertinet Christi effatum : *Væ vobis Scribæ & Pharisei hypocritæ : quia comeditis domus viduarum. Orationes longas orantes , propter hoc amplius accipietis judicium.* Matth. XIII , 14. Et illud : *Qui devorant domus viduarum sub obtentu proluxæ orationis , hi accipiunt prolixius judicium.* Marc. XII , 40. Immo nec latuit Ethnicos scriptores : *Totius injustitiæ nullam capitaliorem esse , quam eorum , qui tum cum maxime fallunt , id tamen agunt , ut viri boni esse videantur.* CICERO Off. I , 13. III. Sed quia pietas & ceteræ virtutes omnes , vel caussis nituntur ratione tantum cognitis , vel simul ex momentis a divina revelatione acceptis exercentur , consequens est , ut virtus Christiana summum boni ac meriti gradum attingat , & ut propter eandem causam Christi asseclæ longe rigidius , quam pagano , aut infideli imputanda sint vitia contraria. Immo & inter Christianos alea , ebrietas , injustitia , fraudesque longe majorem in clerico , vel monacho , quam in laico & milite præferunt turpitudinem : atrocius , inquit SALVIANUS , *sub sancti nominis prærogativa peccamus : ubi sublimior prærogativa , major est culpa ;* Lib. IV , de Gubern. Dei , p. 118.

§. 191. Nulla actio moralis est minus Culpa minus imputatur. recta , nisi superabili intellectus aut voluntatis vitio laboret (§. 82) , quod generali culpæ , aut *Reatus* denominatione continetur. Speciatim vero reatus , qui versatur in intellectu , cujus nimirum
agens

agens in agendo sibi non est conscius, culpa est stricte dicta; qui autem versatur in voluntate, adeoque ab agente cognoscitur, dolus simpliciter aut *dolus malus* nuncupatur; atque ex his apparet actiones culposas, quæ scilicet ex errore, aut ignorantia superabili patrantur (§. 73), minus esse in agentem conferendas, quam dolosas, quæ ab homine sciente & volente contra legem sunt susceptæ (§. 81, §. 190).

I. Culpam generatim accepit CICERO scribens: *malum* (morale) *nullum esse nisi culpam*, III. Tuscul. 16; & OVIDIUS:

Peccasse fatebar,

Et potuisse datis simili succumbere culpæ

Me quoque muneribus;

Metam. VII. v. 748, sq.

Quare & Jæti Romani nomine culpæ sæpius & dolum sunt complexi. Cf. L. 10, D. commod. II. Speciatim vero isti *dolo malo* Prætoris tabulam ab eo corrumpi tradiderunt, qui sciens & volens, non *qui per imperitiam vel rusticitatem id fecerit*, L. 7, §. 4, D. de jurid. Etsi alias imperitiam culpæ adnumerarent, L. 132, de R. J. Ideo in certis negotiis dolum malum duntaxat, in aliis *dolum & culpam præstari* voluerunt, L. 23, D. de R. J. Hinc *si putator ex arbore, cum ramum dejiceret*, (nulla facta attentione, adeoque culpose tantum) *transeuntem occiderit*, minus coerendus est, quam si dolo fecerit, L. 7, D. ad L. Corn. de Sic.; quorsum etiam pertinet PHÆDRI fabula, quæ *veniam tam dari do-*

cet,

et, qui casu (id est culpa) peccat, quam qui consilio est nocens, L. V, Fab. 3. Atque ex his colligitur, culpam in reatu intellectus, dolum vero in reatu voluntatis recte collocari, qui non modo actionibus injustis, sed etiam inhonestis, impiisque inesse potest, etsi Romanæ leges dolum ad actiones injustas aliquando restringere sunt visæ, L. I, §. I, D. de dol. mal.: hunc autem dolum malum vocabant, quia veteribus dissensus actionis internæ ab externa, finis liciti causa positus, dolus erat bonus, cit. L. I, §. 3. III. Ceterum, cum diversæ sint intellectus facultates, plura etiam sunt culpæ genera; vincibilis enim defectus attentionis incogitantia, reflexionis inconsiderantia, rationis improvidentia, iudicii imprudentia nuncupantur, nullus vero harum facultatum usus præcipitantiam, & absentia omnis sollicitudinis de actionis bonitate incuriam progignunt. Cf. WOLF. Ph. Pr. A. I, §. 760, seq.

§. 192. Qui rationes secum subducit, an vel quomodo agere, vel non agere oporteat, *deliberare* dicitur; qui vero instituta deliberatione hoc vel illud factum, aut non factum præoptat, is *decernit*: actus voluntatis, quo decreti executio determinatur, prærefis seu *propositum* audit; utrique autem tam decreto, quam proposito cohæret *intentio*, sive volitio finis; itaque luculentum est, actionem deliberatam magis esse imputandam, quam non deliberatam, ex deliberatis vero il-

Actio de-
liberata
magis,
quam non
delibera-
ta.

S lam,

lam, cui liberius decretum, propositum, atque intentio accesserint (§. 190).

Ex his ratio reddi potest, cur homicidium deliberatum, aut singulare certamen statuto loco & tempore susceptum gravius imputetur, quam homicidium non deliberatum, aut pugna inopinato exorta; & cur Romanæ leges marito adulterum & patri filiam domi suæ deprehensos occidere permetterent in continenti, non autem post moram; L. 23, D. ad L. Jul. de ad. Sed etiam deliberatio varios habet gradus, prout ad actionem determinandam, vel ad exequendam, vel ad utrumque simul adhibetur, atque ad hunc modum etiam imputatio augetur. Præclare CICERO in omni, inquit, *injustitia permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis est, & ad tempus: an consulto & cogitato fiat injuria; leviora enim sunt, quæ ex repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quæ meditata, & præparata inferuntur*; Off. l. 8.

Quando ex intentione & proposito imputatio summat incrementum.

§. 193. Plures autem faciunt intentionis formas; quæ enim finem spectat, propter quem solum causa efficiens ageret, *primariam*, secus *secundariam* nominant. Porro intentionem *directam* vocant, qua id intenditur, propter quod agens agit; *indirectam* vero, qua quidem agens per se non vult, quod ex actione ipsius sequitur, quod tamen perinde ac id, quod vult, ex eadem sequi potest: denique ab intentione factum illicitum præcedente *dolum ex pro-*

proposito, ab ea autem, quæ hujusmodi factum consequitur & approbat, *dolum ex re* ducunt, atque ex his conficiunt, ut intentio primaria, directâ, & dolus ex proposito, quia majori contingentia eliciuntur ac intelligentia, graviolem quoque æstimationem recipiant, quam ceteræ formæ contrariæ.

I. Si numeret Cajus Sempronio mille aureos, & primo intendat hujus necessitatibus subvenire, simul tamen cogitet, se ita in eo, quod ambit, munere Sempronium propitium esse habiturum, incidet quidem in ambitus reatum, ast non ita gravem, ac si eam pecuniam nonnisi animo corrumpendi amici numerasset. II. Intentio indirecta, cum non sit volitio finis, nomen intentionis quidem non meretur; attamen id certum est, confectaria, quæ præter intentionem agentis fluunt ex actione libera, jam gravius, jam remissius imputari, prout facile aut difficulter ea prævideri poterant, semper tamen minus, quam si agenti fuissent satis perspecta. Quare si quis vulnerandi animo gladium strinxerit, & aliquem occidat, pro homicida damnatur; *ast si clavi percussit in rixa, quamvis ferro percusserit, tamen non occidendi animo, lenienda est pœna ejus, qui in rixa causa magis, quam voluntate homicidium admisit; L. 1, §. 3, D. ad L. Corn. de Sic. : Ita & qui poculum dant amatorium, etsi dolo non faciant, tamen si mulier aut homo (id est foetus) perierit, summo supplicio afficiuntur; L. 38, §. 5, D. de pœn.* Ast femina, quæ non malo

animo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea, quæ acceperat, decessit, tantum relegari iussa; L. 3, §. 2, D. ad L. Corn. de Sicar. III. Qui falsam solvit monetam sciens & volens, dolum committit ex proposito, aut si genuinam esse putet, ab omni dolo interea est immunis: ubi vero spurios fuisse nummos intelligit, nec eos commutare vult, incidit in dolum ex re, L. 36, D. de oblig. & qui etiam dolus est ex proposito, sed tantum consequenter, & ideo minorem malitiam arguit.

Et pro gradu diligentiae aut negligentiae varietur.

§. 194. Usus remediorum & facultatum nostrarum ad finem bonum obtinendum idoneus *diligentia* nominatur: cui opponitur cum *negligentia* sive omissio diligentiae, quam quis obligatur adhibere, tum usus remediorum, & facultatum nostrarum legi contrarius, seu earundem *abusus*: quoniam plurima concipi possunt remedia ad finem sufficientia, nemo negaverit, innumeros quoque dari posse diligentiae & negligentiae gradus, & propterea harum imputationem summopere variari oportere. Ceterum negligentia prout vel in intellectu deprehenditur, vel in voluntate, ad actiones vel culposas vel dolo-fas pertinet, & hinc jam minore, jam majore poena digna est (§. 191).

I. Si ad notiones communes reflectamus, ob quas advocato, medico, militi, studioso, agricolae diligentia, vel negligentia tribui-

buitur, veritas datarum definitionum patebit. Est autem diligentia alia *absoluta*, quæ non ad certam personam, sed ad finem obtinendum unice refertur; *alia hypothetica*, quæ ex viribus personæ agentis tantum æstimatur. Ita servi in Evangelio, quorum uni quinque, alteri duo talenta tradiderat dominus, *unicuique secundum virtutem suam*, Matth. XXV, 15, quum singuli totidem superlucrati sint, eandem impenderunt diligentiam hypotheticam, seu in concreto, etsi hæc absolute, seu in abstracto discreparet.

II. Diligentia hypothetica autem innumeros esse gradus, vel librarii exemplum docebit. Is legum Romanarum Codicem describet diligentissime, si characteres omnes affabre efformet, nullum omittat vocabulum, nullam litterulam, & ea utatur celeritate, quo majorem ipse non potuisset adhibere. Contra tot deerunt diligentia gradus, quot vel litteræ vel vocabula omissa sunt, aut minus celeriter, atque attente scripta.

III. Attamen Romanæ leges diligentiam in tres tantum gradus, scilicet *maximam*, *mediam*, & *minimam* distribuunt, summam autem negligentiam pro dolo habent, si non tam de pœna ordinaria alicui infligenda, quam potius de suo alteri præstando agatur; L. 21, D. Depos., & L. 226, de V. S.

IV. Quoniam vero ex negligentia omnis oritur culpa, hanc etiam latam, levem, & levissimam faciunt. *Lata culpa*, ait ULPIANUS, *est nimia negligentia, id est, non intelligere, quod omnes intelligunt*, L. 213, de V. S; *levissima* vero dicitur, si quis non sciat, quod saltem curiosissimi non ignorant, L. pen. §. 2, D. de

de J. & F. Ign. Igitur culpa *levis* seu media est, quæ inter latam & levissimam interjecta est; cit. L. pen. §. 2. V. Defectum rectitudinis actionis, ob exceptionem in casu collisionis officiorum minus recte factam, culpam mediam dixit WOLFIUS Ph. Pr. I, §. 784, eamque a dolo & culpa in specie separavit; alii vocarunt culpam propositi, vel versutiæ, DARIUS. I. Jur. Un. §. 181, veluti si quis misericordia ductus servum alienum compeditum solverit, ut fugeret; L. 7, §. 7, D. de dol. mal. Equidem hujusmodi factum semper minus esse imputandum, quam si non ex misericordia paretur, jam supra est ostensum (§. 188); quum tamen falsa exceptio a lege vel *dolose* a sciente, vel *culpose* ab ignorante instituat, haud opus est, aliam culpam mediam procedere.

Tum pro modo ætatis, temperaturæ, & affectuum.

§. 195. Quemadmodum infantia, dementia & furor arcent usum rationis (§. 55), & ab omni imputatione liberant (§. 185), ita ætas nondum satis matura, aut crassior educatio mentis valde perstringunt oculos; sanguinis autem temperatio atque affectus deliberandi facultatem extenuant (§. 51, sq.): quare etsi facta in tali statu patrata non careant moralitate (§. 52, §. 62), ea tamen tanta non est, quanta foret, si illi idem agerent, quibus nulla hujusmodi impedimenta obsistunt. Falsum itaque is faceret judicium, qui hujusmodi actiones physice quidem æquales,

les, sed moraliter discrepantes æqua lance suspenderet.

I. Quamprimum quis ratione uti potest, infantia quidem major est (§. 54), sed ad maturitatem non pervenit, nisi perfecta ratione, quod propter rerum fortuitarum concursionem ex solo annorum numero nequit supputari: uti tamen infantia, seu defectus usus rationis anno septimo, ita iudicii imbecillitas anno decimo quarto communiter circumscribitur; cujus rei naturalis illa est causa, quod circa hanc ætatem *pubertas* seu generandi facultas sæpissime adveniat, inde autem firma ac vegeta corporis structura, a qua & animi vires pendent, esse colligatur. Quare non Romanis modo, *Pr. Inst. quib. mod. tut.*, sed etiam aliis populis annus pubertatis XIV. placuerat; PHILO. de opif. mund.; quia, ut ait PLUTARCHUS, *circa secundum septennarium, cum vis procreandi adest, tum intelligentia boni & mali*, de placit. Phil. V, 24; quod ipsum Hippocratis & aliorum testimoniis confirmat MERILLIUS Obs. Jur. Lib. I, c. 22, & VII, c. 29. Equidem Romanæ leges minorennitatem usque ad annum XXV. protraxerunt. Id autem ad leges positivas magis & negotia, quæ nonnisi experientia discuntur, pertinuit, L. 37, §. 1, D. de minor., L. 198, de R. J.; quam ad leges naturales, in quibus ætatis suffragio minores non juvantur, L. 1, Cod. si ad delict. Quid quod nec annorum numerus ad pubertatem lege positiva requisitus in considerationem venit, si modo adsit *habitus corporis & vigor*, ut sufficiens *rei intellectus*

capi possit, L. 14, D. de Sen. Sil. II. Ad variam sanguinis mixturam vix ac ne vix quidem respicere solent leges positivæ, ast leges naturales hæc omnia refecant minutissime: *Multa, enim, in corpore existunt, quæ acuant mentem, multa, quæ obtundant*; CICERO Disp. Tusc. I, 33. Prout scilicet sanguis vel calidus est, & copiosus, vel multum bilis flavæ habet admixtum, vel atra bili laborat, vel denique pituita abundat, alii memoria, alii iudicio, alii ingenio, alii nulla ex his facultatibus valere dicuntur, & hinc ad bona opinata vel corporis, vel animi, vel rerum externarum inclinari, vel denique tam ad vitia, quam ad virtutes esse tardiores. Quocirca ANDRONICO RHODIO recte videbatur, *factis turpibus excusationis aliquid adferre natura, & delictum efficere tolerabilius*. Paraphr. in Eth. Nic. VII, C. 10. III. Quantum vero affectus imminuat libertatem, agnovit ANTONINUS Pius in hæc verba rescribens: *Ei, qui uxorem suam in adulterio deprehensam recidisse se non negat, ultimum supplicium remitti potest, cum sit difficillimum justum dolorem temperare*; L. 38, §. 8, D. ad L. Jul. de adult.

Cur actio
composita
magis
æstimetur,
quam sim-
plex?

§. 196. Actio, quæ in plures alias dividi potest, *composita*; quæ non potest, *simplex* appellatur: constat itaque actio libera composita ex pluribus liberis simplicibus, quarum singulæ ab arbitrio pendent & ratione, ut porro, si omnes in unam quasi jungantur, arbitrii & rationis quantitatem crescere necesse sit. Quoniam

ve-

vero ex magnitudine libertatis quantitas moralitatis, & imputationis æstimatur, non obscurum est, actionem compositam magis laudandam esse, vel culpandam, quam actionem simplicem; inter plures compositas vero illam ceteris merito præponderare, in quam major numerus simplicium coalescit.

Inde fit, ut furtum *simplex* minus imputetur, quam *qualificatum*, quod scilicet effra-ctio, ascensus per scalam, aut vis major comitatur: porro ut homicidium patratum atrocius quam attentatum judicetur, non quasi nudus eventus malitiæ possit esse mensura, sed quia facilius est crimen attentare, quam perficere, minorque libertatis gradus in eo deprehenditur, qui tantum actionem determinat, quam qui illam quoque exequitur (§. 192). Quare recta fuit PHILONIS JUDÆI philosophia, homicidas existimari oportere non eos solum, qui vitam adimunt, sed & eos, qui omnia faciunt palam, aut clam, ut quemquam interimant; L. II. de leg. spec. p. 790. Ast etiam JCTi probe agnoverunt, *Legem non minus eum, qui occidendi hominis causa cum telo fuerit, quam eum, qui occiderit, punire*; L. 16, §. 8, D. de pœn. (Vid. & §. 193, sch. II, & §. 172, sch.) Et ita plane corrui-
t erronea THOMASII opinio putantis, quantitatem libertatis non esse meriti mensuram: *Quod, ut ait, habitualiter vitiosus, etsi secundum doctrinam communem tamquam servus vitii dicatur minimam libertatem habere, non tamen*
mi-

mitius puniatur; Fund. I, VII, 58. Enimvero quamvis actio simplex ex mala consuetudine suscepta minus libera sit, quam si ea consuetudo abfuerit (§. 52), attamen etiam habitus moraliter mali per plures actiones liberas contrahuntur, & ideo actibus sunt pejores: *Quis enim plura sunt, in quæ incidimus delicta*, ut scribit DIODORUS SIC. in frag. L. XXI, Ecl. 15, *hoc majorem pœnam commeremur*. Cf. GROTIUS de J. B. & P. II, XX, §. 30, n. 3.

Quid forum, & quotuplex.

§. 197. Forum morale potestatem actiones imputandi designat, quæ, si de Deo enunciatur, forum *divinum*, si de homine, forum *humanum* constituit; forum divinum etiam forum *poli*, seu *internum*, forum humanum vero forum *soli*, seu *externum* nuncupatur. Scilicet summa Dei sapientia uti omnes actiones nostras, ita & interna animi cogitata distinctissime intelligit, & dimetitur: ast fallax sæpe est hominum judicium, neque occultos animi recessus pertingit; unde consequitur, ut in foro divino innumera imputentur facta, quæ omnem hominum cognitionem æstimationemque effugiunt.

Hac fori notione usus est ULPIANUS in L. 7, de Jud. *Si quis, inquit, posteaquam in jus vocatus est, miles, vel alterius fori esse cœperit, in ea causa jus revocandi forum non habebit, quasi præventus*; quo sensu exceptionem *fori* dare is dicitur, qui potestatem factum
vel

vel jus imputandi alicui competere negat ;
 L. fin. Ccd. de Ex. & Præsc. Et ita in foro
 humano *cogitationis pœnam nemo patitur* , L.
 18, D. de pœn. ; *cujus ratio reddenda est in*
foro divino (§.64, & §.132) , quod enim, ut
 scribit SENECA , *non vetat lex* , scilicet hu-
 mana , *hoc vetat fieri pudor* , seu lex natura-
 lis , in Troad. v. 333. Ideo *non omne quod*
licet in foro externo , honestum esse in foro
interno JCTi Romani observarunt ; L. 144,
 de R. J. Ex his autem perspicuum est ,
 omnimodam plenamque agendi permissio-
 nem existere , si actio nulli prorsus legi ad-
 versetur (§. 85). Ast plena minorem esse
 permissionem , si aliquid licere dicitur , non
 quod salva pietate , ac honestate fieri potest ,
 sed quod ab humana pœna est immune. Cf.
 GROT. J. B. & P. *prol.* §. 41 , I. 1 , §. 17,
 III , 4 , §. 2 , n. 2. Atque hoc nos ducit ad
 illam juris divisionem , qua jus in *internum* ,
 & *externum* distribuitur , quum enim facul-
 tas agendi , quod legi non repugnat , jus ap-
 pelletur (§. 84) ; quidquid facere in foro
 interno licebit , ad id quoque jus competet
 internum ; quod vero nonnisi inter homines
 fieri potest impune , id solum jure fiet ex-
 terno , de quo OVIDIUS : *Injustum rigido jus*
dicitur ense ; Trist. V , El X , v. 13 ; &
 JCTus PAULUS : *Prætor quoque jus reddere di-*
citur : etiam cum inique decernit , L. 11 ,
 Dig. de Just. & Jur. Vid. I. Regum ,
 VIII , 11.

§. 198. Sæpe forum internum fori Existit fo-
rum con-
scientiæ.
 conscientiæ seu rationis venit nomine ,
 quod quam vim habeat , operæ pretium
 est

est explanare ; nempe tam facultas , qua quisque est instructus (§. 103) , de propriarum actionum honestate , vel turpitudine ratiocinandi , quam potissimum ipsa hujusmodi ratiocinatio , *conscientia* moralis dicitur ; quum vero rerum nexum perspiciendi vis nobis tributa sit a Supremo Numine , & ideo vox rationis pro voce Dei habeatur (§. 103 , sch.) ; mirum non est , forum internum divinumque , & forum conscientiae , seu rationis promiscue usurpari ; ex quibus impia refellitur illorum opinio , qui inanem putant esse conscientiae ideam , eamque insulso vulgi iudicio assignant.

Hancce *conscientiae* vocabulo significationem tribui ægre quidem tulit PUFFENDORFIUS *J. N. & G. I, C. 3, §. 4* ; ast eadem a sensu veterum non adeo abhorret , quippe qui non modo rei alicujus notitiam pluribus communem , CICERO *Catil. I, C. 1* , sed etiam bene vel male a se factorum iudicium ea voce designabant. Uti enim SALLUSTIUS *conscientiam scelerum* , *Catil. V* , PHÆDRUS *laudis conscientiam* , *II. Epil. v. 11* , memorarunt ; ita præclare CICERO pronunciavit : *Nulla re se tam letari solere , quam conscientia officiorum* , *Epist. V, 7* : *Virtutis & vitiorum grave ipsius conscientiae pondus esse , qua sublata jaceant omnia* , *Nat. D. III, 5* : *Nullum theatrum conscientia majus dari* , *Tusc. Disp. II, 26* : *Hominis porro sapientis esse , maxime estimari conscientiam mentis suæ , quam a diis*
im-

immortalibus accepimus, quæ a nobis divelli non potest; quæ si optimorum consiliorum testis in omni vita nobis erit, sine ullo metu, & summa cum honestate vivemus; pro Cluent. C. 53. Totam vero conscientiam chymeris accensere ausus est TOLANDUS in *Tito Livio a supers. vind.*; alit ita se ipsum ex homine transformavit in belluam, sibi que ademit rationem; neque enim conscientia ens est imaginarium, & ab anima diversum, uti aliquando imperitum vulgus fingere observat WOLFIUS *Ph. Pr. I, §. 487*, sed est ipsa hominis ratio, quatenus de bonitate & malitia propriæ actionis moralis, sive officiorum fert judicium, aut saltem illud ferre potest; negata igitur conscientiam facultate homini quoque rationem abjudicari necesse est.

§. 199. Tot autem existunt partitiones conscientiam, quod sunt judicii & actionum; quæ enim de actionibus suscipiendis instituitur ratio, conscientia *antecedens*; que de actionibus peractis, conscientia *subsequens* adpellatur: deinde conscientia antecedens duas habet subjectas formas, quarum altera *theoretica* est seu contemplativa, si in bonitate vel malitia actionis simpliciter versetur; altera *practica* seu præceptiva, si actionem perpetranda esse vel omittendam simul pronuntiet. Denique ex factis legi consentaneis conscientia subsequens *bona* atque tranquilla, ex factis vero legi dissentaneis *mala* mordensque emergit (§. 94, sch.).

Hæc antecedens est, vel consequens, theoretica, vel practica, bona, vel mala.

Ii, qui virtuti student, in actionis suscipienda moralitatem inquirunt (§. 80, §. 164), & ita conscientia utuntur antecedente; contra homines vitiosos affectus abripit & consuetudo: eos igitur eventus, qui stultorum est magister (§. 105, sch.), primum docet; & subsequens vexat conscientia, quæ ideo ab antecedente toties solet dissentire. Porro an malum inferre læsionem intentanti liceat, id in scholis perpendit conscientia contemplativa; ubi vero modicam injuriam graviter ulcisci cupienti,

*Stat contra ratio, & secretam garrit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitabit agendo,*
PERSIUS Sat. V, v. 96,

conscientia practica se se exserit. CICERONEM bona solabatur conscientia Catilina expulso, Orat. Catil. III, §. 12; hujus vero animus, necato filio, *impurus diis, hominibusque infestus, neque vigiliis, neque quietibus sedari poterat*; SALLUST. Catil. XV. Verissime igitur CICERO: *Magna, inquit, vis est conscientia, & magna in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserunt, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarunt*; CICERO pro Mil. 23, quod ipsum egregie expressit OVIDIUS:

*Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit
intra*

Pœtora pro factis spemque metumque suo.
Fast. I, 485.

Quoniam vero cor gaudio exsultat, & dolore angitur, hinc est, quod & Scriptores sacri conscientiam in corde collocarint; I. Reg. XXIV, 6; II. Reg. XXIV, 10; Joan. I, Epist. III, 20, 21.

§. 200. Porro quod supra observatum est, ratiocinationem in imputando rectam esse vel errantem, certam, vel incertam, probabilem, vel dubiam (§. 178, sq.), id quoque ad conscientiam trahi, atque inde declarari omne potest. Nam etiam legis factique proprii idea jam *vera* est, jam *falsa*; dein aut *evidens* aut *opinabilis*, atque hæc postrema nunc ad veritatem propendet magis, nunc ad falsitatem (§. 178, sq.). Ex his autem satis patere arbitror, non omnes conscientiaë partes subesse imputationi, sed illas solum, quæ actiones jam susceptas consecuntur; quamdiu enim homo actionem suscipiendam perlustrat, nondum sibi aliquid imputare intelligitur, sed demum ubi factum jam perpetratum, ejusque consecutiones libero suomet ipsius arbitrio attribuit (§. 175).

Recte, vel
 errans,
 probabi-
 lis, vel
 improba-
 bilis, vel
 dubia.

I. Recta conscientia divelli a ratione non potest; ideo *libera* quoque appellatur (§. 44); ast conscientia errans plerumque affectibus obnoxia est, & hinc minus libera, seu *subiecta* audit (§. 141), quo sensu Stoici *solum sapientem liberum, & omnem stultum servum esse* tradiderunt; CICERO Parad. V, II. Uti autem conscientia vel in lege errat, vel in facto, vel in conclusione (§. 178, sch.); ita legem quod attinet, aut eam non vult agnoscere, aut, quæ plane non est, fingit: prior conscientia *laxa*; posterior *angusta*, seu *scrupulosa* a scrupulo, seu brevi la-

Conscientia
 errans
 in lege
 in facto
 in conclusione

lapillo pedibus molesto nuncupatur; **SERVIUS** ad **ÆN.** VI, 238. Gignuntur itaque scrupuli ab ignorantia, veluti si quis ex verbis Christi: *Nolite jurare*; **Matth.** V, 33, omne jusjurandum vetari arbitretur; eos igitur ope demonstrationis oportet evellere. Vid. **WOLF.** Ph. Pr. I, §. 421. III. Conscientiam alii formam faciunt imputationis; **KOELER.** Exerc. §. 382; **DARIES.** I. J. U. §. 249: alii ab imputatione ita differre putant, ut conscientia ad actiones proprias, imputatio ad alienas pertineat; **HEINEC.** El. J. N. I, §. 97; **BURLAMAQ.** II, IX, §. I. Enim vero nec conscientiam antecedenti notio imputationis tribui (§. 175), nec eadem conscientiam subsequenti denegari potest: sæpissime enim propria homines sibi imputant facta, & ut eleganter scribit **JUVENALIS**:

Prima hæc est ultio, quod se

*Judice nemo nocens absolvitur, improba
quamvis*

Gratia fallaci prætoris vicerit urna.

Sat. XIII, v. 2, sq. IV. Legum custodiam perfectio (§. 89), hinc gaudium (§. 129), & felicitas (§. 133), aut earum transgressioni imperfectio, tristitia, & infelicitas (§. cit.) cohærent: itaque bona conscientia præmiis, mala poenis non immerito accensentur (§. 84, §. 199). Sane suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit: suæ malæ cogitationes conscientiamque animi terrent. Hæ sunt impiis assiduæ domesticæque furiam; **CICERO** *pro Rosc. Amer.* XXIV.

Quatenus
teneamur
sequi di-

§. 201. Quæ recta est conscientia, comparat actiones cum vera lege, atque adeo

adeo voluntatem legislatoris eloquitur (§. 198) ; itaque non est dubitandum , quin illius impulsu sequi omnino teneamur : at , si iudicium actionis falsum sit , quantum id vim habeat ad obligationem , disputatur. Imprimis autem facile concedent omnes , neminem , quod falso præceptum esse putet , ommittere ; aut , quod falso iudicet esse prohibitum , facere oportere. Et si enim factum legi , quæ non est , nequeat repugnare ; eatenus tamen quis peccat , quod peccandi habeat voluntatem (§. 82) , & , quantum in ipso est , a legis violatione haud abhorreat (§. 164) .

Etamen
conscientia
tiae ?

I. Lex naturalis est lex Divina (§. 100, sch.) : patet igitur actionem , quæ adversatur rectæ rationi , etiam Divinæ legi repugnare ; & ita corrumpit , quæ superiore sæculo nonnullis probata est sententia perniciofa atque absurda ; (Philosophismum vocant) esse nimirum peccata , quæ in foro rectæ rationis , non autem in foro Divino imputentur. Cf. CONCINNA App. theol. Tom. II, Lib. III, Diss. I, C. 10. II. Et quoniam actionis turpitudine non in motu physico , sed morali reperitur (§. 62) , ideo qui legem esse putat , & ab ea recedit , animo æque utitur vitioso , ac si in iudicando non errasset , quorsum pertinet illud PLUTARCHI : *Requiritur non modo , ut , quod agitur , sit honestum , iustumque ; sed ut firma ac constans adsit persuasio ; & inde fiat actio , ut , quod fit , fiat ideo , quod animus ita faciendum iudicaverit ;* Timot.

T

T

T. I, p. 238, edit. Wech. Quod totum apte illustrat APOSTOLUS: si *manducaverit*, inquit, *cibum*, quem quis illicitum per errorem arbitratur, *damnatus est, quia non ex fide; omne autem quod non est ex fide*, scilicet ex conscientia, *peccatum est*: Roman. XIV, 23. Cur ergo HEINECCIUS sequendam esse conscientiam errantem indistincte negaverit, El. J. N. I, 45, plane non video. Illud in aperto est, ex provocatione ad conscientiam nondum de rei veritate constare, siquidem falsa sæpe conscientia esse potest.

Quid si fuerit errans.

§. 202. Gravior autem est inter Doctores contentio de conscientia, quæ turpe quod est præcipi, vel quod præceptum est prohiberi, opinatur. Tunc enim aut falsæ quis obtemperat conscientiæ, & legem migrat, quæ nos bona jubet facere, & omittere mala (§. 79); aut agit contra conscientiam, & itidem peccat, quia animum legis violandæ, atque conatum prodit (§. 201). Inde vero effici ajunt, ut hujusmodi homini necessitas peccandi semper imposita esse videatur; ast salva res est: is enim, cui error objicitur inevitabilis, culpa vacat, & imputatione (§. 185); qui vero in errore versatur evitabili, in ejus est arbitrio positum errorem deponere, & ita se ab hypothetica tantum peccandi necessitate liberare (§. 73, sch.).

I. Omnem excusare ignorantiam , aut omnem damnare æque est absurdum : uti enim , qui suomet vitio & culpa in errore hæret , pœna dignus est ; ita , qui involuntaria laborat ignorantia , culpari nullo modo potest (§. 185). Fallax itaque fuit argumentum Critobuli apud D. HIERONYMUM L. I. Dial. adv. Pelag. C. X: *Rogo, inquit, quæ est ista justitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conscientia? Nescio me peccasse, & ejus rei, quam nescio, pœnas luo.* Quid enim si quis sua negligentia errorem fovit? Quid si plane noluit intelligere, ut bene ageret? Psalm. XXXV, 7: *ad hos igitur illud spectat: Est via, quæ videtur homini recta, novissima autem ejus deducunt ad mortem:* Proverb. XV, 25. Aliud omnino dicendum est de errore inevitabili, siquidem auctorem facti eum declarare, qui ejus auctor non est, toti imputationis doctrinæ repugnat (§. 180). Quare non erat, ut, qui cum LUTHERO C. I. *Genes.* extinctam rectam rationem, ac sublatum liberum hominis putant arbitrium (§. 108, & §. 121, sch.), in Scholasticos insurgerent, qui tantum *invincibilem ignorantiam reddere excusabiles* docuerunt. Neque his obloquitur, quod posita obligatione sequendi errantem conscientiam sæpe deesset non peccandi libertas; nemo enim peccare cogitur, sed quisque obligatur evitabilem errorem deponere, nunquam vero animum ad leges transgrediendas promptum nutrire. Idcirco etsi sublata fuerit in novo fœdere lex circumcisionis, qui tamen se ad eandem obstringi putabat, illum APOSTOLUS *debitorem esse le-*

gis universae faciendae pronunciavit, V. ad Galat. 3.

Vel du-
bium.

§. 203. Quoniam, qui periculum adit peccandi, contra legem committit (§. 81, sch. II, & §. 201); consequens est, ut qui dubitat, an actio præcepta sit, vel permixta, illam suscipere, qui autem dubitat, an actio prohibita sit, vel permixta, ab eadem abstinere teneatur. Si enim faciat, quod ambigit, an sit illicitum, aut id omittat, ad quod faciendum anceps est, an non fortassis obligetur, jam apparet, eum non penitus effugere legis transgressionem, suamque cupiditatem virtuti anteferre. Ast si ea obveniat species, ut de actione, an sit præcepta, vel prohibita, dubium oriatur, hæc ob eandem causam interna erit suspendenda, dandaque opera, ut dubio quantocius sublato illam, quæ sanæ rationi magis consentanea videbitur, sententiam amplectamur.

Conscientiam dubiam a Scholasticis perperam fingi putat THOMASIVS Jur. Div. I, I, §. 53, quia dubitatio non sit animi iudicium, sed iudicii suspensio: ast vana est hæc logomachia; certe is etiam iudicat, qui etsi decisionem non facit, tamen pronuntiat, nondum sibi liquere; quo in statu, argumentis primum ex re, dein, si opus fuerit, ab auctoritate petitis, vel dubium oportebit deponere, vel in eam partem, quam permixtam esse constat, se vertere; & ita *semi-*
sam

tam eligere tutiorem; Cap. 12 \times *de homic.*; quapropter APOSTOLUS Corinthios in dubio ab esu cibi diis immolati voluit abstinere *I. Corinth. VIII*: ubi vero nasceretur dubitatio, an aliquid vetitum sit, vel præceptum, veluti, ut hoc utar, patrem perduellem accusare, suspendenda omnino erit actio, & post diligens examen illi conscientiae dictato, quod verosimilius videtur, se conformare. *Quocirca*, inquit præclare CICERO, *bene præcipiunt, qui vetant, quidquam agere, quod dubites an aequum sit, an iniquum. Aequitas enim lucet ipsa per se, dubitatio autem cogitationem significat injuriae*, Off. I, 9; unde cautissimi cujusque præceptum esse dixit PLINIUS: *Quod dubitas, ne feceris*: Ep. I, 18.

§. 204. Non tamen manifesto semper, ^{Vel tantum probabile.} atque evidenti judicio agendum est, sed si nihil certi haberi possit, satis utique fuerit id, quod probabile est & verisimile, consuetari, nec secus eos sæpissime nihil agere oporteat, qui frustra quæsi verunt certiora. At iniquis: rem tamen habere dubitationem, donec explorata sit veritas, & porro præstare, actionem suspendere, quam periculum peccandi subire (§. 203). Enimvero dubia conscientia non modo rationes judicat esse utrinque ejusdem ponderis, sed etiam paullo momento ita huc illuc impellitur, ut qualem in partem se vertat, plane non habeat: ast conscientia probabilis alterutri

con-

contradictionis parti jam adfentitur, quod rebus mature consideratis unum potius, quam alterum eligendum esse videatur. Quare qui omni, quo potest, studio veritatem investigat, etsi dein certa cognitione destituatur, is tamen inevitabilis erroris auctor nequit declarari (§. 185).

Veram, quam supra dedimus (§. 179), probabilitatis notionem bene in animum imprimere necesse est, ne secus in gravissimos, qui hac in re creati sunt, errores etiam delabamur. Latet nimirum in quavis probabilitate aliquis cognitionis defectus (§. cit.), qui quatenus fuerit evitabilis, probari nullo modo potest (§. 185). Inde ergo vim accipit probabilitas, quod adhibita congrua atque hypothetica (§. 194) diligentia, judicio de actionis singularis moralitate illustrando incumbatur; qui enim id præstiterit, etsi adhuc a vero possit aberrare, certum tamen est, a culpa eum esse immunem, siquidem nulla esse obligatio impossibilium (§. 72), nec imbecillitas mere naturalis venire in imputationem potest (§. 184). Fac vero opinionem probabilem ideo alicui videri, quod debita attentione, aliisque inveniendæ veritatis adjumentis, uti neglexerit, inanis jam adest probabilitas, & quæ agentem a reatu nequaquam excusat. Equidem APOSTOLUS cum beatum dixit, *qui non judicat semetipsum, in eo quod probat*, Rom. XIV, 22; ast de eo loquitur, qui recta utitur conscientia, aut saltem invincibili laborat cognitionis defectu; qui enim erro-

re fallitur evitabili, non potest semetipsum non damnare: ex his autem intelligitur, cur DARIESIUS ex defectu cognitionis invincibili probabilitatem *licitam*, ex vincibili autem *illicitam* duxerit, Obs. J. N. LVII, §. 1, seq.; & cur HEINECCIO probabilem conscientiam a peccato excusare nimis generatim neganti, *El. J. N. I*, §. 40 *sch.*, haud liceat suffragari. Et ita merito ALEXANDER VIII illam confixit propositionem: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

§. 205. Ubi vero conscientia minus probabilis confligit cum probabiliore, atque eadem actio ex gravibus quidem momentis licita, re tamen diligenter perpensa majori cum probabilitate illicita esse judicatur, absurdum utique foret iudicio minus verisimili adhærere. Præterquam quod enim nos progredi semper oporteat in via ad veritatem, finique intellectus adversetur retrorsum cedere (§. 29), fieri etiam non potest, ut in eo statu dubitatio de facti turpitudine deponatur (§. 179, §. 203). Peccaret igitur opinionem sibi ipsi minus probabilem amplexus, quia non modo id, quod ambigit, an rectum sit, faceret (§. 203), sed etiam videns meliora probansque nihilominus sequi deteriora, & ita resistere conscientiaë sustineret.

Cur id imprimis tenendum sit, quod verisimilimum,

Ea quidem fuerat Academicorum ratio, ut quoniam veritas hominum ingeniis sæpe impervia esse videatur, inducerent quoddam probabile, cui velut normæ officia sua conformarent. Nemini autem id venerat in mentem, ut in duarum opinionum conflictu minus probabilem rejecta probabiliore feligi posse docerent. Immo vero id agebant, ut in utramque partem dicendo, & audiendo elicerent, & tamquam exprimerent aliquid, quod aut verum sit, aut ad id quam proxime accedat, ut dein sine præjudicia auctoritatis, quod esset optimum, judicare possent; CICERO Acad. Q. L. IV, Cap. III. Inde erat, quod traderent: *Quidquid acciderit specie probabile, si nihil se offerret, quod sit probabilitati illi contrarium, eo utendum sapienti*; loc. cit. cap. XXXI. Quod ipsum alibi enodatus a CICERONE declaratur: *Nobis autem, ait, nostra Academia magnam licentiam dat, ut, quodcumque maxime probabile occurrat, id nostra jure liceat defendere*; Offic. III, c. 4. Postea quidem Scepticis, qui de omni veritate detegenda desperabant, & omnes probabilitatis gradus pares esse arbitrabantur, quodcumque probabile ad recte factum sufficere est visum; SEX. EMPIR. I. Pyrrhon. Hypot. C. XXXII. Sed nec ullus horum inventus est, qui minus probabile in conspectu probabilioris sequi hominem posse tradere sit ausus. Quare summo opere dolendum est perniciosam hanc sententiam, quam MEDINA, in commentariis ad D. Thomam I. 2, Q. XIX, anno 1577 editis, calamo primus propugnasse creditur, tam multos postea invenisse sectatores. Uti-
nam

nam saltem ad præceptum CICERONIS advertissent mentem : *Sed ne in maximis quidem rebus quidquam*, inquit, *adhuc inveni firmitus, quod tenerem, aut quo judicium meum dirigerem, quam id, quodcumque mihi quam simillimum veri videretur, cum ipsum illud verum in occulto lateret* : Orator in fin.

§. 206. Sed nec magis voluntati bonum, quam intellectui verum pro fine positum esse constat. Quemadmodum igitur minus bonum, in conflictu cum bono majori fit comparative malum (§. 34), sic quod minus probabile est, quando cum probabiliori opinione comparatur, amittere probabilitatem necesse est. Quis enim illud probabile amplius esset dixerit; quod jam a veritate magis recedere, quam ad illam accedere compertum est; & quis propriæ cognitionis defectum obtentu naturalis imbecillitatis excusare auderet, si quidem lumini prælucenti sibi clariori lumen obscurius anteposuit. Denique sicuti adulterinam corruptamque esse libram quisque agnosceret, in qua pondus levius præponderaret graviori; ita falsam spuriamque esse conscientiam fateri oportet, quam facta momentorum contentione non fortiora ad agendum flectunt, sed debiliora (§. 32 sch., §. 179).

Opinione
minus
probabili
rejecta.

Sane, quoties duæ opiniones inter se sunt dissidentes, fieri non potest, ut plus una
vera

vera sit : igitur enitendum est , ut nostra fiat
 verisimillima , & , quantum fas est , ad cer-
 tam accedat conscientiam ; nec probabilibus
 immorandum , nisi quando non datur ulte-
 rius progredi , quod , si nihilominus errave-
 rit conscientia , error fuerit inevitabilis , &
 ab imputatione immunis. E contra si quis
 conscientiam secutus minus probabilem in-
 cidat in errorem , frustra imbecillitatem
 obtendet naturalem ; siquidem , qua major
 fax a ratione prælata ducebat , ire recusavit,
 iisque passus est se flecti ponderibus , quæ
 vim suam jam amiserant. Sumamus enim
 libram , in cujus lance sinistra septem , in
 dextra autem octo sint pondera ; & statim
 percipies septem pondera , quæ , si sola essent,
 descenderent cum sinistra lance , jam ascen-
 dere & elevari per octo pondera contraria.
 Nimirum septem unius lancis pondera cum
 septem ponderibus alterius lancis compen-
 santur ; superest igitur octavum dextræ lan-
 cis pondus , quod adhuc vim exserit suam ,
 & quo imposito , nisi adulterina sit libra ,
 non potest lanx non in eam partem propen-
 dere. Neque eludes argumentum , si dixeris
 cum P. LACROIX Th. Mor. L. I, n. 407 ,
 posse utique *lancem , in qua majus sit pondus ,*
hominis digito deflekti magis : id enim ad
 modos adulterandi libram pertineret , cujus
 natura est , ut non alia ratione deprimantur
 lances , quam ponderibus impositis , utque
 illa pars præponderet , in qua eadem abun-
 dant ; & hæc ipsa monente APOSTOLO esse
 debet rectæ conscientiæ formula : *Ut unus-*
quisque in suo sensu abundet : Rom. XIV , 5.
 Cf. TYRS. GONZALEZ. S. J. Præp. Gen. de
 recto

recto usu opinionum probabilium, Romæ
1694.

§. 207. Nunc, quibus argumentis oppositam defendant sententiam, videamus. Quid obijciant ad-versarii?
Aiunt nimirum I. opinionem, quam non constat esse falsam, utique sequi nos licere (§. 204), inde autem de iudicii falsitate non constare, quod contrarium probabilius videatur (§. 179): quin imo II. tamdiu durare dicunt libertatem moralem, donec fuerit legibus circumscripta (§. 85): III. legem vero intelligi nullam absque sufficiente promulgatione (§. 72), quæ sane deficiat, quando probabiliter, seu gravi ex fundamento de illius existentia dubitetur. Addunt IV. semper in dubiis præferenda esse benigniora; nec V. intolerabile illud onus imponendum conscientis, ut in fortiores agendi rationes perpetuo inquirere, easdem librare; dein VI. quod tutius est amplecti teneantur.

Summa hæc sunt momentorum capita, quibus opinatores totam probabilismi machinam sustentant; omnes enim argutationes, fallaciæ, & paralogismi, quos ad tenebras rei alioquin perspicuæ offundendas excogitarunt, non uno, majore licet, volumine comprehendi possent. Ne autem verba tantum dare videantur, ad illas provocant Juris regulas: *In pari causa possessor potior haberi debet*; L. 128, D. de R. J. *Quoties dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem*

rem respondendum erit ; L. 20 de eod. In obscuris , quod minimum est , sequimur ; L. 9 de eod. Semper in dubiis benigniora praeferenda sunt ; L. 56, D. eod. Ita vero legislatori partes actoris , libertati partes rei , & conscientiae partes judicis attribuunt , voluntque ut iudex , qui re sedulo perpensa causam actoris invenit probabiliorem , tamen absolvat reum. Quid quod APOSTOLO deferunt testimonium jubenti, *ut is , qui manducat , non manducantem non spernat , & , qui non manducat , manducantem non iudicet* , Rom. XIV , 3 ; & inde conclusionem , ut ex duabus propositionibus sibi contradicentibus utramque sive magis , sive minus probabilem sequi liceat , exsculpunt. Cf. BARTH. MEDINA Comment. in L. II, 2, Q. XIX. Art. VI, Can. 3 ; THOM. SANCHEZ Summa L. I, C. 9 , n. 13 ; ANT. TERILLUS Tract. de Consc. Q. XXIII , n. 48.

Refelluntur argumenta a notione probabilis, favore libertatis, & defectu legis petita.

§. 208. Enimvero I. etsi opinio , quae videtur minus probabilis , absolute & evidenter falsa dici nequeat ; quando tamen comparatur cum probabiliore , ad falsitatem accedit magis , & in eo statu sine peccandi periculo probari amplius non potest (§. 305). II. Nec ideo quidquam detrahitur libertati morali , quae ad actiones aequalis bonitatis tantum pertinet (§. 78 , §. 84) , nunquam tamen omnem agendi regulam excludit (§. 64). III. Qua fronte autem is legem sibi non esse promulgatam contendet , qui ejus existentiam
affir-

affirmandam potius, quam negandam ipsemet confitetur? Quod si in re dubia, quam paria utrinque momenta efficiunt, actionem veluti permissam suscipere minime licet (§. 203), quomodo id, quod probabilius prohibitum esse judicatur, facere licebit?

Quod evidens non est judicium, illud verum esse potest, vel etiam falsum; si igitur sequi promiscue liceat, quod non est evidenter falsum, jam vel minima probabilitas maximæ probabilitati poterit præferri, quod utique est absurdum, & hinc propositio: *Dum probabilitati quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*: ab INNOCENTIO XI merito proscripta est. Sane illa morum regula est mutari nescia, ut ad veritatem, quantum fieri potest, accedamus, quam tamen flocci faciunt, qui opinionem, quam agnoscunt sibi esse minus probabilem, suæ agendi licentiæ prætexunt. Quis autem non obstupescet! Deum & libertatem, sedente pro tribunali conscientia, inter se disceptare, Deo autem fortioribus licet rationibus munito causam abjudicari. Quod immane fictionis monstrum si quis adhuc paulisper digerere posset, mirabitur tamen, opinatores reflexa, ut vocant, doctrinæ tam absurdæ fulcra ex Juris Romani regulis voluisse mutare. Nec enim Lex 128 Dig. de R. J. in *dispari*, sed *in pari* causa præfert possessorem, si enim possessor titulo utatur infirmiore, eum a non possidente, qui

qui titulum adducit probabiliorem, superari juris est notissimi, L. 9, §. 4, D. de publ. in rem. act., L. 6, §. 11, D. quae in fr. cred. Porro damus quidem, in dubio pronuntiandum esse pro libertate, quæ nimirum jus est connatum ab hominum æqualitate ortum (§. 140), sed uti cessat ea libertas intuitu Supremi Numinis, cui creaturæ omnes necessario subjectæ sunt (§. 141); ita nec ipsi Romani in dubio filium a patris imperio judicassent liberum. Favendum enim libertati est, non licentiæ. Nec majus præsidium in L. 9, D. de R. J., reperitur. Etsi enim ibi tradat ULPIANUS: *In obscuris sequendum esse quod minimum est*: non tamen lumen minimum lumini majori præferri, sed, sicut declarat L. 200 Dig. eod., quod *minimum iniquitatis habet*, eligi voluit: quid autem erit ab iniquitate magis alienum, an legem, quam quis probabilius latam esse agnoscit, custodire; vel libertatem minoribus fultam argumentis tueri? Non igitur oportuit leges calumniari, & sejunctis a toto systemate illarum fragmentis fallere imperitiores: *In civile enim est, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula ejus proposita judicare*; L. 17, D. de LL.

Tum &
reliquæ
fallaciæ
diluuntur.

§. 209. Et quamquam IV. in dubiis præferenda esse benigniora facile concedamus, hoc tamen non eam vim habet, ut legem dubiam despiciere, & pro nihilo putare sit permissum (§. 203); sed ne quis jura ambigua pro certis sumere, atque eatenus vel aliquem pœna afficere,
vel

vel actum quemdam irritate moliatur: unde satis manifestum est, adductum juris axioma ad coercendam agendi licentiam, non vero ad vincula legum relaxanda pertinere. Si autem V. in legem pro viribus inquirere nimium onus esse judicetur, nulla jam erit tam crassa ignorantia, quæ hoc prætextu non possit excusari. Ceterum VI. quum judicium probabilius esse non possit, quin etiam tutius sit a falsitate, perpetui profecto atque inanes injicerentur scrupuli conscientiis, si quis opinionem sectari deberet minus probabilem, quod illam a defectu rectitudinis noscit esse tutiorem.

Finge testatorem legem dixisse hæredi, ut ancillam, si primum marem peperit, manumittat, hancque uno utero marem & feminam peperisse sic, ut incertum sit, utrum marem an feminam prius ediderit. In hac igitur specie dixit ICTUS CAJUS: *In ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportere*: ut nimirum ancilla libertatem consequatur, quasi per præsumptionem priore masculino edito; L. 10, §. 1, *Dig. de reb. dub.* Ex qua objecta L. 56, D. de R. J., est desumpta. Non itaque hæres a lege testatoris liberatur, sed non obstante eventus ambiguitate, præcepta potius ancillæ manumissio, quam permissa ejusdem retentio dicitur. Videant porro adversarii, quam inepte iterum Legum Romanarum auctoritate abutantur: cogitarent potius hosce ipsos ethnicos JCTos

ex naturali ratione hausisse, ut *in obscuris*
inspici soleat, quod verisimilius est, aut ple-
rumque fieri solent, L. 114, D. de R. J. Nec
 ullam legem investigandi onus subest in no-
 stra hypothesi, siquidem agere volenti, quæ
 opinio sit probabilior, jam apparet. Cum
 autem nulla sit probabilitas, nisi ratione no-
 stri intellectus, perspicuum quoque est, eam
 non unice ex judicio aliorum emanare: etsi
 enim juvet sæpissime consilium exquirere
 aliorum; tamen, ut probe monet CICERO,
non tam Auctores in disputando, quam rationis
momenta quaerenda sunt; N. D. I, 5. Quare
 si quis necessariis instructus adjumentis rem
 consideravit sedulo, & sine affectu, idque
 invenerit minus probabile, quod alii judi-
 cassent esse probabilius, propriam ei am-
 plecti opinionem licebit: quorsum respexit
 APOSTOLUS nolens, ut alter alterum propter
 ciborum discrimen condemnaret: *nam alius,*
inquit, judicat diem inter diem, alius autem
judicat omnem diem; Rom. XIV, 5. Quod
 vero vulgatam attinet regulam: *In dubiis*
eligendam esse partem tutiorem (§. 203, sch.):
 ea verissima quidem est, nisi ex rationum
 superponendo deponatur dubium, & judicium
 minus tutum probabilius esse cognoscatur.
 Itaque si in superiori specie legatum liber-
 tatis deletum in testamento reperiatur, etsi
 certum omnino atque evidens non sit, te-
 statorem mutasse voluntatem, tutiusque fo-
 ret, edito mare, ancillam liberare, jure
 tamen ea poterit retineri, quoniam adẽ-
 ptum esse legatum est verisimilius. Scilicet
 utrumque, manumittere ancillam, vel non
 manumittere, tunc tutum bonumque esse
 potest;

potest; aut eam liberam esse iustam, & non esse, seu utrumque simul esse verum nullo modo potest. Sed etiam, quod generatim tutius est, fit speciatim minus tutum, veluti *viduas non nubere juniores*: I. ad Timoth. V, 14.

§. 210. Postremum est, ut quæ *dormiens* fit conscientia, quæ *expergescens*, videamus. Scilicet, ut in somno nullus est ratiociniis locus, ita conscientia eorum dormire dicitur, qui, quum inserviant affectibus, & toti a sensibus pendeant, ac imaginatione, curas & cogitationes in actionum honestatem, aut turpitudinem haud defigunt. Quoniam vero mala cum factis necessario copulata peccantem plerumque pungunt, mordentque: inde fit, ut conscientia soleat sæpius evigilare, donec longa peccandi consuetudine occalescat, & instar carnis cauterio ustæ sensus omnis stupore opprimatur.

Quæ dormiens dicitur conscientia, quæ expergescens.


Conscientiæ dormientis meminit APOSTOLUS I. ad Cor. XI, 30: *Ideo, inquit, inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*: tum I. Thessal. V, 6: *Igitur non dormiamus, sicut & ceteri; sed evigilemus & sobrii simus*: & hinc colligitur, quo sensu homo, etsi de moralitate suæ actionis iudicandi habeat facultatem, tamen dici possit nullius conscientiæ. Insigne evigilantis conscientiæ exemplum in Davide reperitur, quando is a Propheta Natan scelerum admonitus

U

clama-

clamavit : *Peccavi Domine* : II. Reg. XII, 13 Denique obdurata est, &, ut ait D. PAULUS I. Tim. IV, 2, *cauteriata* impiorum conscientia, qui quum in profundum venerint, contemnent : *Obscuratum enim est cor insipiens eorum* : Rom. I, 21 ; veluti Pharaonis, *Exod. VII, 13*. Atque hæc de conscientia pro scopo nostro hic tradidisse sufficiat ; reliqua, & potissimum quomodo eadem custodiri, excitari, sanarique debeat, ad alias pertinent disciplinas.





CAPUT SEXTUM

D E

JURIS NATURALIS PARTIBUS ATQUE USU.

- | | |
|---|---|
| <p>211. <i>Jurisprudencia definitur.</i></p> <p>212. <i>Ejus a Furisperitia, & Jurisscientia discrimen.</i></p> <p>213. <i>Dividitur.</i></p> <p>214. <i>Quae sit naturalis.</i></p> <p>215. <i>Hujus latitudo.</i></p> <p>216. <i>Perperam a quibusdam restringitur.</i></p> <p>217. <i>Societatis notio.</i></p> <p>218. <i>Jus naturae vel Ethicum est.</i></p> <p>219. <i>Vel Economicum.</i></p> <p>220. <i>Vel Politicum.</i></p> <p>221. <i>An & Privatum universale?</i></p> <p>222. <i>An Ecclesiasticum universale statuendum sit?</i></p> <p>223. <i>Quid veniat nomine Juris gentium naturalis.</i></p> <p>224. <i>Differt Jus naturae a Theologia naturali.</i></p> <p>225. <i>A Prudentia Ethica.</i></p> <p>226. <i>Economica.</i></p> <p>227. <i>Et Politica.</i></p> | <p>228. <i>A Jure divino positivo universali.</i></p> <p>229. <i>Quod tribus discerni solet notis.</i></p> <p>230. <i>Quamquam hoc nec ab Adamo, nec a Noacho.</i></p> <p>231. <i>Sed primum a Christo repetendum est.</i></p> <p>232. <i>Sine ulla tamen derogatione Juris naturalis.</i></p> <p>233. <i>Cujus semper eximius est usus.</i></p> <p>234. <i>Praesertim in negotiis summorum Imperantium.</i></p> <p>235. <i>Ac populorum.</i></p> <p>236. <i>Etsi propria sibi condiderint jura.</i></p> <p>237. <i>Dein in Theologia Dogmatica.</i></p> <p>238. <i>Ac Morali.</i></p> <p>239. <i>Quae valeat collectio a legibus sacrarum litterarum ad Jus N.?</i></p> <p>240. <i>Quae a permissionibus?</i></p> <p>241. <i>Jus N. est Juris civilis fax.</i></p> |
|---|---|

U 2

242.

- | | |
|--|---|
| <p>242. Tum Juris crimina-
lis.</p> <p>243. Atque Ecclesiastici.</p> <p>244. Ad illud exigendae
sunt aliae leges, & mo-
res populorum.</p> | <p>245. Ceteraque omnia con-
stituenda jura.</p> <p>246. Quae methodus conve-
niat J. N. disciplinae.</p> |
|--|---|



§. 211.

Postquam imputationis & conscientiae doctrinam satis prosecuti sumus, proximum est, ut de variis, quibus Jus naturæ constat partibus, deque ejusdem præstabilitate atque usu videamus. Nova hic nimirum se offert *juris* significatio, quæ cum obligationem & legum complexum, seu *systema* (§. 60, Sch.), tum ipsam æqui bonique artem designat. Atque hæc ars est, quæ, quatenus scientia cernitur, & actione, vocatur *Jurisprudentia*, nec inconcinne definitur: *Habitus, obligationes, leges, & jura demonstrandi, iisque accommodandi species obvenientes*; quorum alterum ad *theoriam*, alterum ad *praxim* pertinet (§. 199).

Jurisprudentia definitur.

Leges agnoscendæ sunt, ut possint custodiri (§. 80), in legum custodia consistit justitia (§. 165), hæc porro finis est jurisprudentiæ proprius (§. 57). Et quia scientiæ ac artes a materia, quam tractant, & in qua versantur, accipiunt nomen, ideo, etsi justitia a jure grammatice derivetur (§. 84), tamen *ULPIANUS*, postquam observasset juri operam daturum prius nosse oportere, unde nomen juris descendat, *est autem*, inquit, *a justitia appellatum*; nam, ut *eleganter Celsus definit, jus est ars boni & æqui*; L. 1, pr. D. de J. & J. Quemadmodum vero actio

actio interna libera intelligitur sine externa (§. 36, & 46); ita juris Scientia pollere quis potest, etsi nondum teneat jurisprudentiam, quæ e contrario solidam legum cognitionem semper præstruit. Sane prudentia *omnis facultas est bene sapienterque excogitata recte exequendi*; igitur etiam jurisprudentia est, quæ in applicandis actionibus tam præteritis quam futuris ad legum normam, juribusque discrepandis occupatur. Ex quo apparet terminis nimis angustis artem nostram ab illis circumscribi, qui cum KOEHLFRO, *Exerc. J. N. §. 395*, eam *habitum imputandi* definiunt, siquidem jurisprudentia generatim non modo ad imputandum, seu ad *judicandum* de merito actionis jam patratæ, sed etiam, ut observat CICERO de *Orat. 48*, & *pro Muraen. IX*, ad *respondendum, agendum, cavendum, & scribendum*, imo etiam ad *leges novas ferendas* pertinet. Unde vel *judicialis*, vel *consultatoria*, vel *eurematica*, vel *formularia*, vel *legislatoria* nuncupatur. Ceterum non leges ad facta, sed species obvenientes ad leges esse applicandas diximus: *Nec enim, ut monet UVIUS, sibi quisque leges aptas facere, sed suos potius mores ad eas accomodare debet*; L. III, C. XX.

Ejus a Jurisprudentia, & Jurisscientia discrimen.

§. 212. Itaque illa legum & obligationum notitia, quæ ab experientia tantum usuque hauritur, etsi factis singularibus disceptandis sufficiat (§. 112, 121), attamen jurisprudentia dicitur, non jurisprudentia; hæc enim sine habitu demonstrandi

in-

intelligi non potest (§. 211). Eam autem esse constat demonstrationis naturam, ut certis & indubitatis nitatur principiis, dein conclusiones legitimo ducantur nexu, denique principiorum, ac conclusionum inter se cohærentia distincte perspicatur. Atque ita manifestum est, quodnam inter Jurisperitos, Juriscentes, & Jurisprudentes sit discrimen.

Scilicet Jurisperitus judicio nititur a sensibus orto, seu, ut ajunt, intuitivo, magis quam eo, quod ratiocinando colligitur, vulgo discursivo; atque eatenus Jcti Romani non homines modo, sed *cetera quoque animalia naturalis juris peritia censeri* docuerunt; L. I, §. 3, de J. & J. Ast Jurissciens is est tantum, qui legem videre, & explicare rationem potest, CICERO *Off. I, 5*; quique, ut hoc utar, non modo finibus rerum convenienter vivendum, vitamque conservandam *clare* cognoscit, sed etiam, cur finibus hisce sui ipsius occisio repugnet, *distincte* perscrutatur (§. 112, Sch.). Cui porro nota sunt principia, ex quibus ducatur quæque pars Juris, ut non difficile sit, quæcumque nova causa, consultatiove acciderit, ejus tenere jus. Fieri enim non potest, ut omnia sciamus facta singularia, aut ut legum codicem omnes continentem species describamus. Quapropter adposite monuerat CICERO *ignorationem docendi proderet, qui, quod positum est in una cognitione, id in infinita dispartuntur*; de LL. II, 19. Denique is primum Jurisprudentis seu Jurisconsulti nomen

men meretur, qui ad leges & jura probe perfecta incidentes causas studet applicare. Quod si quis verba legum tenet, sed non vim & potestatem, L. 17 D. de Legib., *Legulejus est*, CICERO *Orat.* I, 55: si vero dolose abutitur Jurisscientia, *Rabula* vocatur. Idem *Orat.* XV. *Scientia enim, quae est remota a Justitia, calliditas potius, quam sapientia est appellanda.* Idem I. *Off.* 19.

Dividitur. §. 213. Sed ex variis legum complexibus totidem Jurisprudentiæ genera delapsa sunt. Quum enim obligationes & leges omnes primum in divinas & humanas, iterum divinæ in naturales & positivas, tertium humanæ in multas adhuc formas dispescantur (§. 89); etiam Jurisprudentia alia *divina* est, alia *humana*. Porro divina in *naturalem*, & *positivam*; humana vero in tot novas abit partes, quot diversæ legum humanarum complexiones existunt. Ex quo satis explicari potest, cur veteres Jurisprudentiam in univrsum describerint: *Divinarum & humanarum rerum notitiam, justis atque injustis scientiam*; L. 10, §. 2, D. de *J. & J.*

Nec erat, cur hæc definitio ad ostentationem & pompam magis, quam ad usum facta esse videretur; ANT. MURATORIO de *Nævis Jurisp.* C. 1. Siquidem etiam alii antiquiores sapientes Philosophiam *divinarum & humanarum rerum scientiam* vocarunt; CICERO *Off.* I, 44, & II, 2. Jurisprudentiam

tiam vero ex *intima Philosophia esse haurien-*
dam verissime cogitabant. IDEM de LL. I ,
 5. Satis autem ab aliis disciplinis internof-
 citur Jurisprudētia per posteriora verba :
Iusti atque injusti ; hoc est ; æqui & boni ,
dein iniqui & mali , scientia. Sumi enim ju-
 stum hic latius inde patet , quod Juriscon-
 sulti *justitiam colere , boni & æqui notitiam*
profiteri , æquum ab iniquo separare , licitum
ab illicito discernere , & veram Philosophiam
non simulatam affectare dicerentur ; L. 1, §. 1,
 D. de J. & J. : & porro inter juris præce-
 pta non modo *alterum non laedere , & suum*
cuique tribuere , sed etiam *honeste vivere* re-
 censerent ; L. 10, §. 1, D. de J. & J. Et si
 autem humanæ leges sæpe absolutam & apo-
 dicticam non habeant certitudinem , satis
 tamen fuerit , eas certitudine niti hypothe-
 tica , seu morali , ut etiam de illis scien-
 tia ampliore significatione enuntiari possit.
 Cf. GUNER *ad Davies.* §. 30.

§. 214. Ex his autem elucet Jurispru-
 dentiam naturalem , in toto suo ambitu
 acceptam , esse *habitum , obligationes , leges ,*
& jura naturalia demonstrandi , iisque appli-
candi obvenientes species ; adeoque in omni-
 bus versari officiis , quæ DEO , sibi , ac aliis
 deberi solius rationis usu intelligi potest
 (§. 162). Quamquam enim nonnulli tam
 arctos fines constituent nostræ disciplinæ ,
 ut nihil juri naturæ adversari putent ,
 quod non ad alterius hominis tendat in-
 juriam , hi tamen mihi a veterum ratione
 disce-

Quæ sit
 naturalis.

discedere, atque sine ulla sufficiente causa suspectum hocce studium invisumque facere videntur.

ICTOS Romanos non iusti modo sed etiam boni & æqui notitiam fuisse professos, atque inter juris præcepta illud inprimis quod ad omnem vitæ honestatem pertinet, retulisse, paulo ante vidimus (§. 213, Sch.). Hi ipsi porro ex jure, quod omnibus hominibus commune est, quodque naturalis ratio inter omnes homines constituit, L. 9 D. de J. & J., officia erga Deum exemplum posuerunt; L. 2, de eod. Quomodo igitur, qui hodie Jus naturale tradunt, ab hacce officiorum parte abstrahere queant, minime intelligo. Horum enim est, ut CICERONIS utar verbis, *Veri Juris germanaeque Justitiae solidam & expressam effigiem tenere, & non umbra & imaginibus uti*; Off. III, 17. Noverat is autem *Justitiam adversus Deum esse pietatem*, N. D. I, 2, *Fin. IV, 5*; & ideo ad *Jus naturae* non modo *vindicationem*, sed etiam *Dei cultum & gratiam* revocavit, *Invent. II, 22, & 52*. Equidem hominum sancita tantum in actionibus externis versantur (§. 197, Sch.); at, ut præclare animadvertit idem CICERO, *aliter leges* (nimirum humanæ), *aliter Philosophi tollunt astutias*; *leges quatenus manu tenere possunt, Philosophi quatenus ratione & intelligentia*; Off. III, 17. Igitur leges internæ ab absoluto Juris naturalis systemate nequeunt separari. Quemadmodum jam pridem vir summus G. G. LEIBNITIUS observarat: *Sed, inquit, quum in internis quoque jus & obligationem, peccataque in Deum, & re-*
Etas

Etas actiones natura constitui nemo negare possit, ubi quaeso tractabuntur haec naturalis utique Juris, Justitiaeque capita, nisi in scientia Juris naturalis? Nisi quis aliam quamdam universalem Jurisprudentiam configat, quae Jus naturale respectu non hominis tantum, sed & Dei comprehendat; quod inane fore, & superfluum nemo non videt. Epist. Cens. ad Puf. §. XI.

§. 215. *Ecquis enim non iis succenseat, qui pium, honestum, atque æquum omne a Jure naturali dicuntur excludere? Nam, quod ajunt, ista quidem se agnoscere officia, sed illorum tractationem ad alias spectare disciplinas, an non intelligunt, se plane abhorrere a loquendi usu, & ita hoc nostrum studium nobilissima sua parte mutilari?*

Hujus latitudo.

Avaritiam, superbiam, otium, ebrietatem, & vagas libidines ab aliis quidem morum regulis abhorrere, Jure tamen naturæ permitti tradidit J. J. SCHMAUS *Syst. J. N. C. I, §. 12, & C. II, §. 10*; sed eo insolentius, quod vel ipse HOBBIUS legum naturalium disciplinam etiam ad forum internum spectare agnovit *de Civ. III, 27, & IV, 20*; ac plerasque virtutes modo recensitis vitiis contrarias suo Jurisprudentiæ naturalis systemate complecti voluit; *Cap. III, §. 9, 10, 13, 25, & 31*. Et sane latius patet quævis Juris significatio (§. 84), quam ut tam angustiis terminis Jus naturale, quod divinum est (§. 89), coarctandum sit. Sed nec

nec ullum jus , seu facultatem moralem ad ea , quæ contra bonos fiunt , proprie competere posse supra demonstravimus (§. 85).

Perperam
a quibus-
dam re-
stringitur.

§. 216. Est profecto verus DEI cultus omnium officiorum fundamentum (§. 59), de quo qui in Jurisprudencia naturali agere prætermittunt , nec doctrinam de legum conflictu penitus tradere (§. 88), nec quam vim habeat invocatio summi numinis ad firmandam sermonis veritatem exponere , nec denique ipsam legem de non lædendis aliis sufficienti sanctione munire possunt. Officia erga nosmet ipsos quod attinet , illa sic comparata sunt , ut re ipsa ab officiis erga alios homines non discrepent , immo vero hæc ab illis maximam accipiant lucem (§. 115 , Sch.). Tandem officia imperfecta ideo saltem hic pernoscenda sunt , ut inde etiam officia perfecta eo facilius discernantur.

Urgent quidem adversarii , (α) arbitrariam esse disciplinarum divisionem , igitur in Jurisprudencia naturali vel leges omnes , vel tantum perfectas seu cogentes explanari posse ; BARBEVRAC. *in not. ad epist. censor. Leibnitii* §. XI. (β) Posteriozem methodum ipsi Hug. Grotio artis nostræ conditori in tribus libris , quos *de Jure Belli & Pacis* inscripsit , magis placuisse. (γ) Atque hanc servari oportere , ne secus Jus naturale cum aliis moralibus disciplinis perperam confundatur ;

datur; CUNER. ad *Daries. I. J. U. præcogn.*
 §. 35. Enim vero (*) etsi in cujusvis docto-
 ris arbitrio positum sit, an, & quamnam
 velit Jurisprudentiæ naturalis partem ador-
 nare, id tamen a ratione alienum est, ut
 integram profitentes scientiam, præcipua
 tamen capita, & fundamenta, ab eadem dis-
 trahant, divellantque (§. 197). Quomodo
 autem officia erga Deum dissimulare lice-
 bit? Quum pietate adversus Deos sublata, fi-
 des etiam, & societas humani generis, & una
 excellentissima virtus *Justitia tollatur*; CICE-
 RO N. D. I, 2. Grotium quod attinet (β),
 is non tam jura hominum, quam populo-
 rum in artis formam redigere voluit, de *Jur.*
B. & P. prol. §. 1, & §. 32. Jus autem na-
 turæ non ea tantum respicere, quæ dictat
Justitia expletrix, sed aliarum quoque vir-
 tutum actus continere sæpius declaravit,
Proleg. §. 9, & §. 41, & L. II, c. 1, §.
 9, 1, hoc nomine a COCCEJO *ll. cc.* in-
 epte notatus. Denique (γ) cur ex hac metho-
 do nulla prorsus metuenda sit disciplinarum
 confusio, patebit ex iis, quæ tradentur paul-
 lo post. Illud modo observasse sufficiat, Puf-
 ENDORFIUM, KOEHLERUM, HEINECCIUM, WOL-
 FIUM, Dariesium, aliosque plures de officiis,
 quæ Deo, sibi, atque aliis tam perfecte,
 quam imperfecte debentur, egisse in Juris-
 prudentia naturali, ac nihilominus horum
 aliquos ceteras quoque disciplinas morales
 omnes separatim adornasse.

§. 217. Status, vi cujus plures ad com-
 munem quemdam finem unitis viribus
 obtinendum tendere obligantur, *societas*
 ge-

Societatis
notio.

generatim dicitur. Hæc vel *absoluta* est, si ex sola hominum natura ad finem ultimum, id est, divinæ gloriæ illustrationem conjunctorum (§. 59) pendeat; vel *hypothetica*, si ab accedente quodam confoederationis facto simul consequatur (§. 139). Illa etiam *universalis* est; hæc vero tantum *particularis* (§. cit.).

Rusticus & boves arationem, dein venator & canes feræ capturam pro scopo habent; quia tamen bruta nec finis (§. 57), nec obligationis moralis (§. 71) sunt capacia, ideo societas de illis enuntiari nullo modo potest. Universalem hominum societatem quod attinet, eam non modo gentiles Philosophi, CICERO Off. I, 4, ac JCTI L. 3, D. de F. & F., sed etiam Christiani doctores agnoverunt, LACTANTIUS *Inst.* VI, c. 10. Attamen COCCEIUS *Diff. proem. I. ad Grot.* nefarium putat hoc esse Stoicorum figmentum, qui quoniam naturæ Auctorem confundebant cum hoc universo, etiam animas humanas particulam esse divinitatis sibi persuaserunt. Quasi vero omnis rejicienda sit veritas, quam alii ex spuris tantum principiis collegerunt! Impiam Stoæ opinionem & nos supra (§. 8, & §. 56) notavimus, nunquam tamen nobis venit in mentem, ut ideo in dubium vocaremus hominum confoederationem, quæ ex connata singulorum obligatione se invicem perficiendi, atque adeo finem ultimum unitis viribus assequendi luculenter demonstratur. Præclare in rem nostram LIVIUS: *Nobis, inquit, cum Faliscis,*
quæ

quæ pacto fit humano, societas non est; quam ingeneravit natura, utrisque est, eritque, L. V, c. 27.

§. 218. Obligationes & leges, quæ ad hominum solitarium, aut in societate absoluta consideratum respiciunt, traduntur in Jurisprudencia mere naturali, ac sociali generatim, seu in Jure naturæ *Ethico*: quæ vero ad societatem spectant hypotheticam, eæ in Jurisprudencia naturali *sociali* strictius accepta pertractantur. Itaque pars prior officia hominis vel simpliciter, vel cum aliqua adjunctione præterquam sociali, pars autem posterior officia socii in arctiore significatione, scilicet hypothetica, complectitur.

Jus naturæ vel Ethicum est.

Ad statum socialem absolutum respexit cum CICERONE Off. III, 16, H. GROTIUS, quando ex convenientia, vel disconvenientia cum natura rationali ac *sociali* aliquid esse Juris naturalis probari solere scripsit de J. B. & P. I, C. 1, §. 12. Ad statum socialem hypotheticum vero spectant, quæ ab OVIDIO memorantur *socialia fœdera*, Metam. XIV, v. 380; *socialia fura*, Amor. III, El. XI, v. 45; & *lex socialis* CICERONIS *Divin. in Ver. c. 5*. Sed dantur quoque jura hypothetica, quæ non sunt socialia in arctiore significatione: si nimirum ex tali facto, quo nulla instituitur societas, nascantur. Atque hæc ad Jurisprudenciam mere naturalem adhuc pertinent. Cf. CRIBNERUS *Pr. Jurisp. nat.*

nat. proleg. C. V, §. 4; & CANZIUS disc. mor. tom. 1, §. 163. Dicitur autem ista nostræ disciplinæ pars *Jus naturale Ethicum*, quod etiam ARISTOTELES in libris *X Ethicorum ad Nicomachum*, & in duobus libris *magnorum moralium* præcipua hominis officia pertractasse videatur.

Vel Œconomicum.

§. 219. Quamquam vero fines, quorum gratia homines conjunguntur, varii sunt atque multiplices, adeoque & plurimæ societatum formæ esse possunt, eæ tamen quam maxime innotescunt, quæ vel in sobole procreanda, vel educanda, vel in operis pro rebus præstandis, vel in binis saltem ex hisce finibus obtinendis, vel denique in mutua defensione sine communi imperio efficienda occupantur. Unde & societas I. *Connubialis*, II. *Parentalis*, III. *Famularis*, seu herilis, IV. *Domestica*, & V. *Anarchica* sunt ortæ; quarum omnium obligationes, jura & leges Jurisprudentia naturalis socialis, eademque *Œconomica universalis* explanat.

Quoniam singulas societatum formas perlustrare non immensum modo foret, sed etiam supervacaneum, earum enim leges ex principiis generalibus suo loco stabiliendis facile erui possunt, ideo juris naturæ consultis satis visum est, eas enuntiare hominum conjunctiones, a quibus ceteræ omnes ducunt exordium, & in quas pleræque exeunt. *Prima vero societas, ut ait CICERO, in ipsa est*

est conjugio, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis, & quasi seminarium reipublicæ. Off. I, 17. Exactas autem harum societatum definitiones intra dabimus, ut inde, & quæ in tribus primis, seu minoribus societatibus obtinent *Jura connubialia*, OVIDIUS *Heroid. Epist. VI*, 41; *Jus patrium* seu parentale, CICERO *Phil. II*, 18; *Jura familiaria*, OVID. *Metam. XV*, 597; & reliqua, ac majorum societatum propria naturalia jura magis determinari possint. Vocant autem horum jurium scientiam Jurisprudentiam *Oeconomicam*, CANZIUS *disc. mor. Tom. I*, §. 891; DARIESIUS *I. J. Un. præc. §. 36*, sq.; siquidem ARISTOTELES, & innumeri ejus interpretes officia ad istos status sociales pertinentia in binis *Oeconomicorum* libris profecuti sunt.

§. 220. Ex ante recensitis societatibus potissimum major illa tandem coaluit, quæ vocatur CIVITAS, atque definitur: *Cætus hominum sui juris sub eodem summo imperio communis securitatis causa colligatus.* Quemadmodum vero, hoc posito facto, nova quasi materies subjecta est obligationibus & legibus naturalibus hypotheticis, ad quas nimirum *Cives*, seu ii, qui in societatem civilem convenerunt, actiones suas componant; ita illarum legum complexus Jurisprudentiam naturalem *Politicam*, seu *Jus civitatis universale* constituit; quod a jure civitatis particulari, & cujus-

Vel Politicum.

vis populi proprio probe distinguendum est.

Definitioni, quam dedimus civitatis, latius stabiliendæ jam non immorabimur, id suo loco præstituri. Illud vero interea juvat observasse, anarchiam quidem cum civitate in eo convenire, quod utraque ad mutuam efficiendam securitatem dirigatur, eatenus tamen has societates plurimum inter se differre, quia in civitate secus ac in anarchia commune quoddam imperium reperitur. Quod discrimen etsi facile concedant omnes, GROTIUS *de J. B. & P. I.*, III, 7, illud tamen non satis expressum fuisse videtur ab iis, qui cum CICERONE *de Repub. III. Civitatem multitudinem Juris consensu, & utilitatis communiione sociatam* appellarunt, GROTIUS I, I, 14; WOLFFIUS J. N. T. VIII, §. 4. Ceterum scientia legum, quæ ex notione civitatis ducuntur, Jurisprudentia naturalis *politica* vocatur, quia ARISTOTELES octo libros, in quibus de hujusmodi egit officiis, *Politicis* inscripsit. Dicitur etiam *Jus universale*, omnes enim populi eodem uti tenentur, quamvis jura etiam sibi constituent singularia, & cujusvis propria, sive *positiva*, L. 29 D. de J. & J. Atque ex his apparet, quare jam majores nostri exemplo Aristotelis totam moralem doctrinam in tres partes distribuerint. *Ethica* nimirum *seu monastica*, ut observant CONIMBRICENSES, *mores hominis in se absolute considerati componit*; *OEconomica*, *seu familiaris, domesticam disciplinam tradit*; *Politica* *seu civilis optimam rempublicam instituit, atque ho-*
mi-

minem dirigit, ut ea, quæ ad regni totius statum, & universale bonum spectant, probe exequatur; Præf. disp. in Eth. ad Nicom.

An & pri-
vatum
universale?

§. 221. Atque his quidem partibus ab-
solvi Jurisprudentia naturalis socialis po-
test. Sunt tamen nonnulli, qui jus natu-
rale civitatis in *publicum*, & *privatum* dis-
pescunt; publicum vocant, quod officia
imperantium & subditorum; privatum,
quod officia subditorum inter se decla-
rat. Quæ divisio etsi non omni careat fun-
damento; tamen naturalia harum legum
principia in systemate Juris civitatis ita
inter se cohærent, ut duplicem eorum in-
stituere tractationem minime necessarium
videatur. Sane & qui in domestica vivunt
societate, neque si cum imperante, ne-
que si secum invicem agant, mutuis &
naturalibus carere officiis possunt; ast
ideo nemini adhuc venit in mentem, ut
duas eatenus legum naturalium œconomi-
carum disciplinas construeret.

Civitas etiam *Populi* appellatione continetur;
CICERO *de Rep. I.* Et ideo Jus civitatis
Jus publicum generatim, seu *Politicum*,
dicitur, GRUNTER *Inscr. pr. 150, n. 6*; spe-
ciatim vero Jus publicum ad statum totius
societatis multitudinis, privatum autem, seu
Civile strictius, ad statum seu officia singu-
lorum spectat, §. 3, *Inst. de J. & J.*; sed
non eadem omnium est sententia de Juris
privati universalis disciplina. Primus fere

omnium eandem separatim pertractavit M. H. GRIBNERUS, nihil tamen aliud eo nomine intelligi voluit, quam *principia ex quibus cognoscatur, quousque legislativa potestas imperantis civilis pateat, & qua ratione leges condi possint, aut debeant, Pr. Jur. Nat. L. IV, C. 2, §. 2*; quo sensu quidem existere Jus privatum universale nemo inficias iverit. Ast ipsa hæc pertractatio pars est Juris publici universalis, utpote in quo jura & obligationes imperantis civilis sunt tradenda. Quamobrem etiam CHR. WOLFFIUS *Theoriam legum civilium* in capite V. Juris publici universalis exposuit. ISR. CANZIUS in *discipl. mor.* §. 1691, dein DARIESIUS in *Inst. Jurisp. Un.* §. 795, *sqq.*, integrum quidem legum privatarum universalium systema concinnarunt: ast si illæ leges inspiciantur penitius, nisi ad Jus mere naturale, vel sociale œconomicum, vel publicum universale pertinent, erunt tantum positivæ; quippe quæ quodammodo a libero imperantis arbitrio suum accipiunt robur. Ejus enim est ex pluribus ad mutuam securitatem æque idoneis remediis illud, quod maxime placet, eligere, ac determinare. Neque ulla alia ex sola civium subjectorum natura fuit obligatio, quam ut de illo fine conjunctim obtinendo laborent, & porro legibus civilibus primum determinandis, adeoque positivis, actiones suas attemperent. Hac vero obligatione sublata, uti fatente ipso DARIESIO *l. c.* §. 660, Cor. II, & §. 661, non cogitatur civilis societas; ita nec ullæ aliæ distinctæ, & determinatæ leges ci-

viles privatæ universales sunt residuæ. Cf. ACHENWALL. J. N. Part. II, §. 280.

§. 222. Fuere etiam qui ex nuda EC-
 CLESIAE, seu societatis ad Deum eodem modo colendum initæ, notione, obligationes & leges naturales Ecclesiasticas deducere, & ita Jurisprudentiam socialem nova parte augere voluerunt. Quum tamen quilibet homo naturaliter, & ante omnem introductam societatem cultum Dei pro viribus promovere teneatur (§. 115), atque eatenus horum officiorum expositio ad Jus mere naturale pertineat: facile patet, ut nisi plures enumerentur cœtus ecclesiastici proprietates, & ita magis ejus determinetur scopus, ex generali illa ecclesiæ idea, nullæ prorsus novæ ac definitæ obligationes ecclesiasticæ intelligi possint. Quod si prior quædam exercendæ pietatis norma, libero aut summi numinis, aut hominum arbitrio statuta, animo concipiatur, ea vero non erit naturalis, sed solum positiva.

An Ecclesiasticum universale statuendum sit?

Ecclesia Græcis vocabatur *concio*, in qua decreta sanciebant, teste SUIDA VOC. *Εκκλησια*; sed in Sacris Literis ea voce cœtus hominum eundem cultum Deo tribuentium danotatur, Numer. XIX, 20; XX, 4; & I. Reg. XVII, 47. Atque hoc sensu Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ universalis elementa conscripserit G. G. KEUFEL *Rostoc.* 1729, tum CAN-

ZIUS in *Disc. mor. discipl.* IV, & V; dein DARIESIUS in *Inst. Jur. Un.* Sect. V, alii- que. Enim vero præterquam quod horum aliqui non tam Ecclesiæ generatim, quam Ecclesiæ Christianæ definitionem ex principiis propriæ sectæ efformatam spectarunt, CANZIUS *l. c.* §. 2363, nec ceteri, qui latissimam Ecclesiæ notionem sunt amplexi, re ipsa alias, quam quæ ex Jure mere naturali jam cognitæ erant, conclusiones inde rite haurire potuerunt. Utilius itaque nobis visum est, primo elicere naturalis pietatis leges, dein ad easdem varios status sociales accommodare. Quemadmodum non modo Jæti Romani, L. I, §. 2, D. de J. & J., sed etiam GRATIANUS in suo Decreto, *Distinct. I, Can. XI, Jus publicum in sacris & sacerdotibus* quoque consistere tradiderunt. Sumas vero societatem Ecclesiasticam, quæ ab omni alia confociatione sit remota, & illius officia partim ex natura divini cultus, & societatis generatim consideratæ, partim ex scopo datæ Ecclesiæ magis definito, ceterisque notis ejusdem propriis colligere licebit.

Quid veniat nomine Juris gentium naturalis?

§. 223. Jus mere naturale ad omnes homines, quos nulla specialis tenet communio, pertinere supra vidimus (§. 218), quam vero hi ipsi homines vel ut singuli, vel ut sociata quædam multitudo considerari possint, etiam Jurisprudencia mere naturalis leges atque obligationes cum singulorum hominum, tum quoque diversarum societatum in statu sociali uni-

ver-

versali inter se viventium exponit. Præter omnes autem laudatas societates præcipuæ ac maximæ sunt civitates, quæ etiam GENTES vocantur, & ideo illa Jurisprudentiæ naturalis pars, quæ in explicandis mutuis civitatum officiis versatur, *Juris gentium* nomine jam pridem innotuit. Quo cognito sane, quibus reliquæ minores societates, nullius alterius imperio subiectæ, juribus invicem utantur, definire fuerit facillimum.

Varias, quæ *Gentis* vocabulo tribuuntur, significationes suo loco evolvemus. Illam vocem modo cum SERVIO ad *Virg. Georg. III*, 133, accipimus pro *sociorum multitudine*, quæ nimirum nullius alterius hominis imperio subiecta sit, & potissimum qua civitas contineatur, quales erant apud VIRGILIUM

Ausonii Troja gens missa Coloni. Georg. II, 385.

Inde est quod Jus inter plures obtinens populos nuncupetur *Jus gentium*, LIVIUS XXI, 10; CORN. NEP. *Them. C. VII*, n. 4; aut etiam *Jus civitatum*, scilicet *externum*, ut a *Jure civitatum interno*, seu publico universali distinguatur; HOBBS *de Civ. XIV*, 4; KOEHLER. *Sp. VII*, §. 1568: non autem hic loquimur de *Jure quodam gentium arbitrario*, sive *positivo*, sed de eo *Jure*, quod ex natura & notione gentis usu tantum rationis intelligitur, & quod porro a partibus *Juris naturalis* nequit separari. An vero *Jus naturale gentium*, & *Jus naturale hominum*
sub-

subjecto tantum, in quo versantur, differant inter se, vel etiam regulis, esse inanem fere verborum disceptationem alibi patebit. Quicumque tamen præferatur loquendi modus, id extra omnem dubitationem positum est, Jus gentium minus accurate a quibusdam cum Jure sociali commisceri; HEINEG. J. N. I, §. 31. Quum enim gentes sine ulla mutua speciali conjunctione possint cogitari, illæ nec ex Jure civitatis interno, seu publico universali, nec ex civili privato, sed tantum ex Jure mere naturali judicandæ sunt (§. 218). Ceterum jam ratio reddi potest, cur nostræ disciplinæ titulus vel *Jurisprudencia universalis*, seu *Juris naturæ & gentium*, vel de *Officio hominis & civis* fuerit adhibitus.

Differt Jus
naturæ a
Theologia
naturali.

§. 224. Ne autem, qui latiore Jurisprudentiæ naturalis ambitum complexi sumus, illam cum Theologia naturali, Ethica, Œconomica, aut Politica confudisse videamur, operæ pretium est, ut quodnam inter hæc disciplinas sit discrimen, ostendamus. Ac primo quidem ex Theologia naturali doctrina de Dei existentia, & proprietatibus hauritur; ast obligationes & leges naturales, quas cognitio contemplatioque auctoris naturæ suggerit, partem Jurisprudentiæ naturalis constituunt. Quod si malunt nonnulli etiam de officiis adversus Deum agere in Theologia naturali, eandem nobis non recusent libertatem, ut nos illa ad Jus naturæ refera-

feramus ; utimur alioquin veterum exemplo , quod non pauci recentiores sunt secuti (§. 7 Sch. , & §. 215).

Igitur Theologia naturalis , quoniam æternam , necessariam , atque infinitam naturam esse demonstrat , scientia contemplativa est ; contra illa Juris naturalis pars , quæ officia adversus Deum solo rationis usu cognita exponit , scientia est activa. Ita & in Psychologia animæ , in Physica corporis naturam contemplantur , ast ideo officia vel erga animam , vel erga corpus observanda , nemo inseruit illis disciplinis. Ecquis autem naturalem Theologiam solidius , aut copiosius profecutus est , quam Chr. Wolffius ? Attamen & ille doctrinam officiorum erga Deum ad Jurisprudentiam naturalem reservavit. Cui methodo & nos inhærebimus eo lubentius , quod verissimum esse semper duximus illud Chrysippi apud PLUTARCHUM *de Stoic. Rep.* p. 1035 : *Non potest , inquit , inveniri principium aliud , aut origo Justitiæ , quam ab Jove & communi natura ; inde enim initium duci debet , ubi de bonis malisque differendum est.*

§. 225. Ethicam quod attinet , ea quidem in universum integram morum doctrinam complectitur , adeoque & Jus naturale , minus late tamen in illam doctrinæ moralis partem , quæ hominis in statu mere naturali considerati propria est , accipi consuevit (§. 216 , Sch.). Sed factò Juris naturæ & reliquarum Philosophiæ par-

A Prudentia Ethica.

partium divortio, *Ethicæ* appellatione illa nobis venit scientia, quæ in modos, præsidia, & quasi artes inquirit, quibus ad ea facienda, quæ lege naturali præcepta sunt, vel omittenda, quæ eadem sunt prohibita, facilius pervenitur. Et ita, quid inter Jurisprudentiam naturalem & Ethicam intersit, perspicue intelligi potest.

Illa Philosophiæ pars, quæ pertinet ad mores, quod Græci *ἠθικὴ* vocant, ab his *Ethica*, a Latinis vero *Philosophia de moribus*, dein *moralis* appellata est, CICERO *de Fato I*; quo sensu hæc disciplina leges quoque naturales sive mere tales, sive sociales continuit. Postquam vero Ethica ab Œconomica, & Politica discerni cœpit, prima actiones hominum in statu naturali, altera in locietatibus minoribus & familiarum, tertia in civitatibus dirigendas sibi vindicarunt (§. 210 Sch., & §. 220). Quamprimum autem Jus naturale etiam a tribus illis disciplinis discretum est, exin vero acriter semper disputatum est inter doctos, quænam partes Ethicæ arctius adhuc contractæ essent assignandæ. Qui Jurisprudentiæ naturalis limites tam arcte definiunt, ut solas leges perfectas atque externas ad illam spectare arbitrentur, ii cetera hominum officia Philosophiæ morali, seu Ethicæ attribuunt. GUNER. ad *Daries. prol.* §. 34. Quoniam vero Juris naturalis prudentiam patere latius, & officia erga Deum, seipsum, atque alios completi supra docuimus (§. 215), facile iis assenti-

titi

titi sumus, qui cum WOLFFIO *diff. præl. Log.* §. 63, dein ERNESTIO *Init. doct. sol. Part. III*, p. 505, & BAUMEISTERO *Elem. Ph. rec. Phil. præct.* §. 125, sqq, in Jure naturæ obligationes & leges; in Ethica vero legibus alacrius parendi remedia tradiderunt. Quæ duo jam sejunxit HORATIUS scribens: *Quid leges sine moribus vanæ proficiunt.* Carm. lib. III, XXIV, 35. Neque obicias cum GUNERO *l. c.* has ipsas mores effingendi regulas, ratione sola cognitæ, ad Jus naturæ, si latissime sumi velit, esse revocandas. Enimvero Jus naturæ viam veluti & normam ex immoto rerum nexu fluentem figit; at Ethica monita tantum suggerit, atque consilia, & quasi facem præfert, ne a via recta aberremus. Ita & corporis conservandi obligatio discitur in Jure naturali, et si tuendæ, aut recuperandæ valetudinis præsidia in Medicina explicentur.

§. 226. Ita quoque in Œconomica olim Œconomi-
ca. non modo, quæ in minoribus societatibus qua talibus bona essent, vel mala, sed etiam qua ratione & via comparari ea bona, vel evitari mala possent, conjunctim explicarunt (§. 219, Sch.). Ex quo vero Jurisprudentia naturalis œconomica in separatam redacta est disciplinam (§. cit.), id superest modo, ut *Œconomica* moralis in artibus & præsiidiis versetur, quorum ope legibus naturalibus œconomicis eo promptius obsequamur. Illi autem strictissimos ponunt Œconomix limites, qui eandem

res externas acquirendi, & rite administrandi scientiam definiunt.

Igitur uti *Ethica*, seu *Monastica*, a *Jure* mere naturali, ita etiam *Œconomica* ab illa *Juris* naturæ parte, quæ officia tractat minorum societatum propria, distinguitur. Quare qui ad *Jus* naturale solas leges cogentes referunt, ii hæc officia socialia, si sint interna, *Ethicæ Philosophicæ* sociali, seu *œconomicæ*, si vero sint externa & perfecta, *Jurisprudentiæ* naturali attribuunt; GUNER *ad Davies. præcog. §. 36.* Sed jam supra satis a nobis est ostensum, cur in horum ire sententiam, & a *Jurisprudentia* naturali pietatis, honestatis, atque æquitatis præcepta excludere nequeamus (§. 213, sqq.). Ceterum quoniam minoribus societatibus ea cura plurimum esse debet, ut res externas parent, & rite distribuunt; inde factum est, ut hujusmodi ars *Œconomice* nomen sibi proprium usurparet; quorsum, quæ nostro ævo adeo commendantur, & excoluntur *œconomicæ* disciplinæ, vulgo scientiæ camerales, pertinent.

Et Politi-
ca.

§. 227. Tandem illud antehac *Politicæ* tributum est munus, ut cum jura & leges civitatum, tum hasce conservandi, ac perficiendi modos explanaret. Quia tamen ex *Juribus* & *legibus* civitatum naturalibus *Jus* publicum universale, & *Jus* naturale gentium concinnatum est; id tantum erat reliquum, ut in *Politica* strictius ac-

ce-

cepta artes & præsidia, quorum ope leges naturales civitatum impleri, ipsaque adeo societas civilis conservari ac perfici magis possit, docerentur. Et sane JERI, quid civilibus sociis, quid gentibus inter se agere liceat, exponunt, an autem, quod naturaliter licitum est, certo civitatis statui utile sit ac proficuum, a Politicis expendendum est.

Quæ de discrimine Ethicæ, & Œconomix a Jure naturali ante tradita sunt, hic quoque ratione Politicæ sunt repetenda. Neque enim cum iis facimus, qui officia interna a Jure publico universali & gentium secernunt, GUNER *ad Daries. præc.* §. 38; nec secus etiam officia imperantis erga subditos, quæ coactionis sunt expertia, in Jure civitatis oporteat prætermittere. Recte igitur a CHR. WOLFFIO observatum est. *diff. præl. log.* §. 68, & §. 104 *Sch.*, Jurisprudentiam naturalem esse Ethicæ, Œconomicæ, & Politicæ theoriam, cujus praxin universam Prudentia ethica, Œconomica, & Politica, seu Civilis constituent. A vocis autem origine recedit magis illa Politicæ significatio, qua generatim dicitur, vel disciplina, *quæ regulas prudentiæ exponat*, BAUMEIST. *El. Ph. rec.* pag. 550; vel scientia, *quæ tendat ad remedia effectui danda, quibus utilitas nostræ externa in communiōe hominum amplificari possit*, KOEHLER. *Exerc. J. N.* §. 1170: quo sensu illa etiam regula ad Politicam pertinet, ut, etsi liceat levem repellere injuriam, satius tamen sit tum hoc jure non
uti,

uti, quando vitato malo minori majus inde malum nobis conflaremus. Veluti Calvus apud PHÆDRUM V. Fab. III: *Cujus momordit musca nudatum caput, quam opprimere captans alapam sibi duxit gravem.* Spuria autem politica seu astutia & calliditas ejus est, qui, ut ait KIRCHNERUS, *ad omnium nutus frontem componit, quod in comicis Gnatbonum esse videmus, omnibus arridet, gestibus peregrinis crurumque flexionibus scite uti, seria salesque tempori accommodare, principum gratiam venari, hominum favores aucupari, qui cum omnibus ludere, bibere, naso quemvis suspendere, dicteria jacere, & in communis vitæ scena, quumvis, ut dicunt, personam apte, hoc est simulate agere, novit; de Legat. I, cap. 4.*

A Jure
divino po-
sitivo uni-
versali.

§. 228. Longe autem facilius est Jurisprudenciam naturalem dignoscere a Jurisprudencia divina positiva. Prior enim leges complectitur æternas, ac necessarias, quæque ex ipsa DEI rerumque conditarum essentia atque natura solius rationis usu intelligi possunt (§. 99, sqq.); contra posterior in legibus versatur extra naturam, ut nobis cognita est, petitis & eatenus fortuitis, seu voluntariis, quasque divina primum auctoritas, seu revelatio vel toti generi humano, vel alicui saltem genti patefecit (§. 8).

Falluntur itaque, qui a legibus divinis positivis omnem rationem a subjecto, in quo versantur, petitam excludunt. Nec enim
ideo

ideo vocantur voluntariæ, quod omni interno careant fundamento, sed quia humana intelligentia perspici nequeunt, nec porro ex natura Dei & creaturarum nobis cognita necessario promanant; CANZIUS discip. mor. §. 3708, sqq. Hujusmodi autem leges positivas universales triplici tempore a Deo datas putat GROTIUS: *Statim post hominem conditum; iterum in reparatione humani generis post diluuium; postremo in sublimiore reparatione per Christum. Quæ tria jura scilicet Adamiticum, Noachicum, & Evangelicum, haud dubie omnes homines obligent, ex quo, quantum satis est, ad eorum notitiam pervenerunt; de J. B. & P. I, I, §. 15, & II, V, §. 13.*

§. 229. Verum gravis adhuc illa est disceptatio: an & quænam existant leges divinæ positivæ universales, quæ nimirum (α) lumine rationis non innotescant, & tamen (β) omnes obligent homines; quandoquidem (γ) illarum promulgatio in veteri & novo Testamento illis, qui totum genus humanum repræsentabant, fuerit facta: quod quidem alii pluribus, alii paucioribus exemplis adferere conati sunt.

Quod tribus discerni solet notis.

Quamquam in formando hujusmodi legum universalium catalogo varient viri docti: sequentia tamen præcepta tribus illis, quas ex GROTIUS II. cc. indicavimus, notis esse insignia plerisque visa sunt.

I. *Benedixit diei septimo, & sanctificavit illum. Gen. II, 3.*

II.

- II. *Do ligno scientiæ boni & mali ne comedas.* Gen. II, 17.
- III. *Masculum & feminam creavit eos,* Gen. I, 27; *& erunt duo in carne una,* Gen. II, 24, unde vetitam esse polygynæciam colligunt.
- IV. *Relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhaerebit uxori suæ,* Gen. II, 24; quibus verbis divortia prohibeantur.
- V. *Et ipse dominabitur tui,* Gen. III, 16; quo imperium mariti in uxorem statuatur.
- VI. *Carnem cum sanguine non comedetis.* Gen. IX, 4.
- VII. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Gen. IX, 6.
- VIII. *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus.* Levit. XVIII, 6.

Attamen H. GROTIUS divortium, & matrimonium cum pluribus feminis Lege Evangelica tantum prohiberi docuit II, V, §. 9; quibus adhuc quasdam adjecit leges vetantes ea, quæ Jure naturali licita fore opinatur, scilicet *concubinatum* I, I, §. 6, n. 2; *ultionem* II, XX, §. 10, n. 2, & 6; *usuras* II, XX, §. 42; *occisionem innocentis*, qui interpositus fugam, sine qua evadi non potest, impediret; *rerum denique defensionem*, vel *depulsionem levis injuriæ* cum morte aggressoris II, I, §. 4, §. 10, & §. 13.

Quam-
quam hoc
nec ab
Adamo,
nec a No-
acho.

§. 230. Contra alii ita ad objecta respondent exempla, ut vel leges universales esse negent propter necessariæ promulgationis defectum, vel negent esse positivas, quod sufficientem vim obligandi ex ipsa rerum

rerum natura haurire videantur. Cui quidem sententiæ, quod ad jus Adamiticum & Noachicum attinet, facile adstipulamur; illæ enim inter adductas propositiones, quæ congenito hominum sensu non continentur, vel non sunt obligatoriæ, vel peculiari tantum genti a DEO fuerunt manifestatæ: quemadmodum suis infra locis singillatim ostensuri sumus.

Qui post H. GROTIUM Jurisprudentiam divinam positivam universalem in primis concinnare molitus fuerat CHR. THOMASIVS, in *diff. de crim. bigam. & in Institut. Jurisp. div. L. II, c. II, §. 122*, tum *cap. IV, §. 79*, eandem editis observationibus Halensibus Tom. VI, obs. XXVII, iterum se destruxisse gloriatur in *Fund. J. N. & G. Proæm. §. 14*. Quot vero inde inter harum legum adsertores, & impugnatores ortæ sint contentiones, longum foret recensere. Præter plures autem Grotii Commentatores pro illarum legum promulgatione pugnarunt acriter HOCHSTETERUS *Coll. Puf. Ex. III, §. 19*; BÜDDEUS *Phil. pr. II, c. 2, §. 13*; GEORG. BEYER. *del. Jur. div. nat. & pos.*; GENZGEN. *Jur. div. pos. prud.*; GLAFEX *Recht der Vernunft. c. 1, §. 260*, & qui sunt reliqui. Unicam vero ejusmodi legem, eamque de sanctificando sabbatho agnovit CANZIUS in *disc. mor. §. 3729*. Cui duas adhuc ex veteri Testamento, nimirum de *subjectione uxoris erga maritum*, & de *salute æterna per fidem in Christum consequenda*, adjecit KEUFEL *Exercit. ad Grot. I. I, §. 16*. Sed nul-

lum jus divinum positivum universale admittendum esse docuerunt præter THOMASIIUM *ll. cc.*, cum postea ipse BUDDIUS *Th. Mor. II, c. 1, §. 9*; tum vero GUNDLINGIUS *J. N. & G. L. I, §. 75*; BARBEIRACIUS *ad Puf. I, VI, 18*, & potissimum COCCEJUS *dissert. præm. ad Grot. III*, atque JO. ANDR. HANNESSEN in opusculo *de non existent. Leg. div. pos. un.* Gottingæ 1744; quos etiam SAM. CHR. HOLLMANNUS, ex longe aliis tamen, ut ait, rationibus, quam Thomasius, & Buddeus protulerint, est secutus in *Jurispr. nat. prim. lin. §. 71*, editis Gottingæ 1751. Equidem nullâ dubitatio est, potuisse Deum leges ferre positivas universales, quarum transgressio & iis fuisset imputanda, qui propria culpa, ne earundem tenerent notitiam, effecissent; attamen a nemine adhuc confectum est, summum Numen tales leges in veteri Testamento re ipsa præscribere voluisse: imo potius contrarium colligitur ex PSALMISTÆ verbis: *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis*; Psalm. CXLVII, v. 20. Cui consentit APOSTOLUS, qui *gentes legem non habere* præter naturalem satis perspicue declaravit; *Rom. II, 14*. Exempla autem in contrarium adducta suis locis separatim enodabimus.

Sed primum a Christo repetendum est.

§. 231. Diversa est omnino Legum Evangelicarum ratio. Præterquam quod enim divinus Redemptor naturæ leges summa circumfudit luce, præcepta quoque dedit de mysteriis, ac sacramentis, quæ

quæ humanam utique superant rationem, hæcque omnia per univcrsum orbem prædicari diserte mandavit ; quo cum ad æternam beatitudinem consequendam monstraretur via, tum jura naturalia præmiis ac pœnis omnium maximis munirentur. Quin igitur leges Evangelicæ juris positivi universalis nomen mereantur, nefas esset dubitare.

Regnum suum non esse hoc de Mundo, liquido nos docuit divinus Servator *Joan. XVIII, 36*; itaque a ferendis hoc nomine legibus abstinuit, sacras autem Scripturas propter vitam æternam nos scrutari voluit, *Joan. V, 39, & XX, 31*. Atque ea propter primo tenebras, quas pravæ hominum opiniones obduxerant, ipse dispulit a lege naturali, cujus robur novis auxit, iisque gravissimis momenti, declarans se non venisse legem solvere, sed adimplere; *Matth. V, v. 17*. Dein præcepta credendi, seu mysteria umbris & figuris ante involuta, clarius atque expressius præscripsit; & denique leges sacramentorum abrogatis Mosaicis ritibus idem instituit. Cf. DAN. CONCINA *Theol. chr. Tom. VI, diss. VI, c. 2*. Huc vero spectant illa loca Prophetæ ISAIAË: *De Sion exhibit lex, & verbum domini de Hierusalem, C. II, v. 3; Dominus legifer noster, ipse salvabit nos, C. XXXIII, v. 22*. Tum PAULI Apostoli, *Cum sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi; I. Cor. XI, v. 21*. Voluisse autem CHRISTUM hæc leges esse universales ex ejusdem verbis luculenter apparet: *Euntes*

ergo docete omnes gentes, baptizantes eos; Math. XXVIII, 19. Euntes in Mundum universum predicare Evangelium omni creature; Marc. XVI, §. 15. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei; Joan. III, 5. Quid ergo sibi vult communis illa, ut scribit GRONOVIVS ad Grot. I, II, §. VI, not. 66, omnium Protestantium sententia, Christum legislatorem esse negans? si tamen leges Evangelicas & quidem universales non possunt non tueri; uti BUDDEUS *Hist. J. N.* §. XLIII, & HEINECCIUS *præl. ad Grot. I, I, §. 15, & I, II, §. 6*, aliique agnovere. Immo vero plures sunt jam inter illos, qui proprius accedentes ad veritatem Christum Legislatorem esse consentunt; I. W. FEFERLINI *diff. de Christo novo Legisl.* Gottingæ 1739; G. KEUFEL *Exerc. ad Grot. I, I, §. 16*. Nec ideo tamen H. GROTIUS simpliciter assentimur docenti, *extra præcepta credendi, & sacramentorum*, Christum prohibuisse actus, qui inspecta naturæ lege liciti fuissent *de J. B. & P. I, I, 1, 6*. Viebimus enim in progressu exempla ab eodem in medium prolata (§. 229 Sch.) ejus esse generis, ut, quæ in illis actibus inest turpitude, ea simul ex principiis ratione sola cognitæ eluceat.

Sine ulla
tamen de-
rogatione
Juris na-
turalis.

§. 232. Atque ex his abunde colligitur immane quantum a vero aberrare illos, qui Juris naturæ disciplinam vel jam constitutis civitatibus, vel latis Evangelicis legibus inanem atque supervacaneam esse

arbi-

arbitrantur. Quum enim præcepta naturalia, a quibus omnes actiones nostræ liberæ aliquam accipere debent normam (§. 132), nulla penitus ætate tolli, aut abrogari possint (§. 123), consequens est, ut illarum cognitionem ac studium neque obliterari fas sit, neque usum aliis novis fancitis exolescere unquam liceat.

Ex quo Jurisprudentia naturalis a Philosophia Practica, Theologia Morali, & Jure Romano separari cœpit, atque in peculiarem redigi disciplinam, plures eam esse expertam adversarios ex capite sequenti cognoscemus. Irati enim multi vetustis se possessionibus spoliari, tantumque gloriolæ suæ detrahi putantes, quantum veræ laudis præstantissimi hujus studii scriptores sibi vindicabant, totum Jus naturæ inter aniles fabulas referre non dubitarunt. Paucissima, aiebant, esse naturalia præcepta, atque in vulgus nota, nugas porro agere eos, qui hujusmodi legibus in systema redigendis, explicandisve vacarent; BOECLER *præf. ad Grot.* p. 31, 36, & 40. Scilicet non cogitabant naturam ab arte longe perfectiorem fieri (§. 112), ac naturaliter quidem cantare homines, numerare, ratiocinari, ideo tamen frustraneam non esse operam, quæ Musicæ, Arithmeticæ, vel Logicæ discendæ impenditur.

§. 233. Sed nec is est Evangelii vel legum civilium scopus, ut negotia regant populorum (§. 231), quod munus sibi

Cujus
semper
eximius
est usus.

vin-

vindicat scientia Juris naturalis (§. 220) ; quæ cum variis Theologicis quæstionibus lucem fœneratur , tum maxime ceteris omnibus Jurisprudentiæ partibus adeo faciem præfert , ut ea destituti , non calidam expressamque justitiæ effigiem tenere , sed umbra tantum vanisque imaginibus uti videantur.

Nec exiguus est illorum numerus , quos ad contemnendum studium nostrum cœcus abripuit zelus : quum enim a cultura rationis neglectum metuerent doctrinæ revelatæ , Jurisprudentiam naturalem non inutilem modo , sed & maxime periculosam esse declamabant. Enimvero plurimum sua illos fefellit opinio : si enim inculta sit , ac depressa ratio , quomodo revelationis veritatem certam compertamque nobis faciet (§. 108) ? Præclare igitur D. THOMAS *Jus divinum , quod est ex gratia , non tollere jus humanum , quod est ex naturali ratione* observavit 2. 2. Q. 10 , Art. 10. Frustra vero urgent nonnulli ab usum rationis , & gravissimos quorundam interpretum errores ; hæc enim hominum vitia sunt , non disciplinæ. Nec quemquam latet , nisi historiæ prorsus ignarum , ex falsis Sacrarum Litterarum interpretationibus ingentes sæpius provenisse clades populorum. Ast sua nihilominus divino Codici auctoritas , atque sanctitas semper constabit.

§. 234. Sed non abs re erit de hoc argumento differere paulo latius. Non equidem inficiamur pauciores esse hodie homines, qui vivant in statu naturali, attamen populorum Rectores primæva adhuc utuntur libertate (§. 220). Itaque illorum obligationes & jura, quæ speciali quodam facto nondum satis determinata sunt, ex Jure partim simpliciter naturali, partim publico universali omnino sunt discenda. Certe Jura civilia non imperantium, sed subditorum actiones moderantur (§. 221). Sacri autem codicis auctoritatem neque agnoscunt omnes, nec qui agnoscunt, ignorare debent esse aliquid justum, & injustum ante omnem revelationem; hanc vero non tam ad negotia hujus vitæ, quam ad alium longe præstantissimum finem pertinere (§. 231. Sch.).

Præsertim
in negotiis sum-
morum
imperantium.

Non jam Aborigines, Getulos, Libyos, ex *SALLUSTIO Catil. VI, & Jugurth. XVIII*, nec quod adhuc hodie in Africa, & America sine communi imperio vagatur, genus hominum agreste laudabimus. Satis enim est suis quemque haurire oculis posse, subditos diversarum civitatum communi superiore esse destitutos, ac porro non tam ex civili, quam naturali jure judicandos (§. 218). Sunt præterea Imperantes civiles solius summi Numinis potestati subjecti, nec tenentur eo nomine actiones suas aliis, quam divinis legibus attemperare: ex his nimirum intelligunt se quidem sanctione civili esse immu-

immunes ; poenas tamen vitæ futuræ , si rempublicam male gerant , non esse evasuros ; *Psalm. L. v. 5.* Quapropter inepti omnino fuere Juris Romani interpretes , qui inde jura imperantium in ferendis legibus , sanciendo poenis , & exigendis tributis æstimari voluerunt. Sacræ Litteræ quidem officia tradunt imperantium & subditorum generatim , nimirum ut illi *quietam vitam , & tranquillam* efficiant civibus ; I. Timot. II, 2 ; hi vero ut *potestatibus subditi sint , iisque tributum & vectigal* persolvant ; Rom. XIII, 1 , & 7 : non tamen ad species omnes descendunt singulares ; igitur certam dari , ut hoc exemplo utamur , justamque tributorum mensuram , nullumque subditum ab iis præstandis revelatione fuisse exemptum ; id vero ex principiis rectæ rationis , etiam illis , qui vel sanctas ignorant scripturas , vel iisdem abutuntur , demonstrandum est. Cf. quoque OBRECHTI *Diff. de abdic. Caroli V.*

Ac Populorum.

§. 235. Ita & omnes civiles societates statum naturalem inter se tuentur (§. 223) ; quum tamen sæpissime invicem agere , & aliquando incidere in controversiam soleant , certa utique est opus communi norma , ad quam hujusmodi negotia exigantur. Quod subsidium , quia nunquam in Jure civili , nec semper in doctrina Evangelica repetitur , illud tantummodo reliquum est , ut ad leges naturales , quæ sub nomine Juris gentium veniunt , velut ad universalem omnium populorum regulam

gulam recurramus; cujus ignoratio quo majores peperit læsiones & clades, eo insignior est ab illius doctrina rite exposita utilitas.

Qui in Jure Romano illustrando non vulgarem collocarat operam JO. GOTT. HEINECCIUS, non potuit tamen non dicam impingere glossatoribus, qui ex *L. 9, Dig. de Lege Rhodia de jactu*, Imperatorem mundi dominum esse colligebant; quique in juribus pacis, belli, fœderum, & legatorum titulos Juris Romani de *captivis*, de *veteranis*, de *testamento militari*, tum de *pactis*, de *transactionibus*, denique de *legationibus* consulendos duxerant, in *Præf. ad Elem. Jur. Nat. p. VI, sqq.* Quis vero non ridebit TABOREM Jæum, qui a principe in senatum sanctiorem lectus, ubi de Gallorum incursionibus reprimendis consultabatur, actione Romana *ex lege Aquilia* opus esse dixit; LEYSER. *Meditat. ad Pand. sq. 571, §. IX.* Longe alia profecto fuerat ipsis Romanis mens, qui controversias cum exteris gentibus non proprio, & civili, sed communi jure discernendas esse probe noverant. Quocirca *singularis quædam visa est Cn. Pompeii laus, & præstabilis esse scientia in fœderibus, pactationibus, conditionibus populorum, Regum, exterarum nationum, in universo denique belli jure ac pacis*; CICERO *pro Balb. c. VI.* Id si in animum revocassent Galli, terras Belgicas anno 1667 non invasissent ea de causa, quod mortuo Philippo IV, Hispaniarum Rege, illæ provinciæ non jam ad filium Carolum II, ex secundis nuptiis procreatum,

creatum , sed ad filiam Galliarum reginam utpote ex priore matrimonio susceptam spectarent jure devolutionis ; id enim Jus non est naturale , sed civile , & subditis Brabantinis proprium. Rectius itaque nuper adhuc Hollandi jus commerciorum contra Angulos , & Lusitani jus sequendi neutras partes contra Hispanos tueri conabantur ex lege universali , ex qua etiam Austriaci articulum IV. secretum foederis anno 1746 cum Russia initi , *de modo coercendi vicinam gentem , si animum indueret hostilem* , justitiæ apprime consentaneum esse demonstrarunt.

Etsi propria sibi condiderint jura.

§. 236. Etsi vero civitates publica jura tam interna quam externa aliquando sibi constituent , ea tamen tantum sunt particularia , atque adeo definiendis quibusvis speciebus obvenientibus minime sufficiunt. Sane Jus particulare universali tantum est superadditum ; quemadmodum igitur partes generi subjectæ non prius intelliguntur , quam distincta ipsius generis notio habeatur ; ita & omnia jura particularia ex principiis juris universalis necessario declaranda sunt. Quod porro etiam in Jure publico particulari , & in Jure gentium arbitrario observare oportet , ne secus in turpes ac perniciosos errores rapiamur.

Notiones societatis , civitatis , imperii & subjectionis , atque omnium , quæ inde manant jurium , repetendæ sunt ex Jurisprudentia

dentia naturali, & applicandæ ad civitates singulares, quarum quidem modi & affectiones aliter, atque aliter determinari, attributa autem & proprietates abesse nunquam possunt (§. 8). Hæc qui in tractando Jure publico particulari ad loci, temporis, & personarum circumstantias accommodato probe non discernit, quotidie errandi periculo obnoxius est. Ita morem vel legem, ut ajunt, Salicam Gallorum propriam, ne feminæ, & ex iis nati in Regnum succedant, Bignonius, Puteanus, & Lechaferius, viri ceteroquin docti, sed nostra disciplina haud imbuti, ad leges naturales absolutas perperam retulerunt. Ast ex eadem causa pejori hæsitant in luto, qui facultatem tribuunt civibus jus suum armis inter se persequendi, vel resistendi imperanti, vel plane eum a republica removendi. Siquidem ut civitas sine imperio, ita imperium cum jure eidem refragandi ne cogitari quidem potest. Præclare CAJUS: *Omnes populi, inquit, partim suo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur; Leg. 9, Dig. de J. & J.*

§. 237. Id vero exacta Juris naturalis cognitio præstat Theologiæ positivæ, ut non modo sufficientis præmii vel poenæ naturalis in mortali hac vita defectus, & porro vitæ alicujus futuræ, immo & revelationis necessitas intelligatur (§. 131); sed etiam ut mira Evangelii cum recta ratione in doctrina morum conspiratio plenissime eluceat (§. 115, Sch.). Quod si vero inter leges, quas naturalis ratio

Dein in
Theologia dog-
matica.
fug-

fuggerit, & quæ sacris continentur Codicibus, aliqua se offerat diversitas, vel opinata quædam appareat repugnantia, tum quidem solida Juris naturæ principia præsto esse oportet, nec enim aliter veritatem perspicuo intueri, nec, quæ in contrarium existunt, dubitationes explicare facile licebit.

Si quis in Jurisprudenciam naturalem incumbat paullo accuratius, cum profecto non latebit, nullam tantum valere meditationem, ut vel clarior fiat notio vitæ futuræ, vel ut humana ad peccandum proclivitas emendetur fatis, vel denique ut modus sanandis conscientie moribus ac peccatori in gratiam summi numinis reconciliando idoneus reperiatur. Cf. PLATO in *Phæd.* p. 85, & *Alcibiad. Dial. II*, p. 150, edit. ser. Quæ remedia cum sola suppleat revelatio, istius utique necessitas ex solido Juris naturæ studio magis patet. Cf. BURLAMAQ., *El. J. N. L. II. 6*, *XIV. §. 16*. Hoc porro viam parat ad doctrinam Evangelicam, & non modo leges positivas separat a naturalibus, sed etiam exposito rationis cum revelatione consensu ad convertendos infideles maxime conducit; S. XAVERIUS *L. III. Epist. VII.* Dein vera quoque legis revelatæ significatio sæpius colligitur ex Jure naturali; ideo *David comedit panes propositionis* fame compulsus, *MATTH. XII, 4*; & Machabæi ipsa die sabbathi se defenderunt, *I. Mach. II, 40, 41*. Contra Origines neglecto hoc lumine locum *MATTHÆI XIX, 12*, perperam

ram interpretatus semetipsum eviravit ; EUSEB. *Hist. Eccl. L. VI, c. 8.* Ac tandem ex hoc ipso fonte derivandum est, quod multi misere se extricent illis quæstionibus : an & quoad fas esset, Samsonem se occidere, obfetrices Ægyptias, & Raabam contra mentem loqui, Hebræos vasa auferre Ægyptiorum, & extraneis pecuniam fœnori dare, Oseam filios fornicationis sibi facere, Abrahamum plures ducere uxores, ab iisdem divertere, filium innocentem immolare, & quæ sunt hujusmodi. Ut merito Theologis Juris naturæ expertibus occlames illud EURIPIDIS : *Nam turpe id esset, quum scias hominum ac Deorum quod est, eritque, justa te haud cognoscere* : in Helen. v. 92, 8.

§. 238. Iis porro, qui in dirigendis aliorum conscientiis, atque in doctrina, ^{Ac Morali.} quam vocant, *casuistica* versantur, nisi scientia Juris naturalis probe sint imbuti, aquam sæpius hæerere necesse est. Quum enim facta omnia singularia vel memoria discere, vel intelligentia prævidere nullus homo possit; quotiescumque nova causa, consultatiove acciderit, ea profecto ad principia legum universalium exigenda est, ut inde demum, quid justum sit, quidve injustum, certo colligatur (§. 212, sch.). Sed & eo spectat rationis lumen, ut, quæ propter indifferentiam objectivam aliter quidem determinari poterant, si tamen determinata non sunt, juribus universalibus attemperentur.

Sufficiet

Sufficiet capita materiarum, e quibus hodie conflata est Theologiæ moralis disciplina, in pexisse, ut intelligatur, cur casuistarum animi, cum a nostro discendi, docendique genere discesserint, sæpius vagentur errore, nec habeant semper quid sequantur. Ubi enim prima quærenda erunt principia, quæ in materiis de *Actibus humanis*, de *Legibus*, de *Peccatis*, de *Iustitia & Jure*, de *Contractibus*, omnino sunt adhibenda? Anne aliorum auctoritati se committent, adeo inter se dissidentium, ut non raro opinio communis alteri etiam communi obijciatur? Culpat quidem nonnullos Juris naturæ scriptores DAN. CONCINA, *Th. Chr. T. VI, diff. prolus. c. XI*, quod genus humanum lue originali sauciaturum velint solo rationis lumine sanare. Enim vero hunc scopum nunquam spectarunt conditores nostræ disciplinæ, quæ si nihilominus separatim tradatur a doctrina Sacrarum Litterarum, non magis obstabit revelationi, quam prima, quæ a pictoribus ducuntur lineamenta, addendis postea coloribus officiant. Neminem sane oportet quiescere in lege rationis, sed ab illa transire ad legem revelatam; quam utique ficto legis naturalis simulacro cum sæpius tum quoque in fœdere Schmalcaldico Juris Romani tantum peritos fuisse calumniatos ultro confitemur. Cf. HORTLEDERUS *de fat. & Ind. belli Germ. T. II, L. I.*

Quæ va-
leat colle-
ctio a le-
gibus Sa-
crarum
Littera-

§. 239. Quamquam vero leges natura-
les non ex auctoritate (§. 107 seq.), sed
ex suis ac domesticis principiis derivandæ
sunt, nihilominus plura suppeditant Sa-
cræ

cræ litteræ secundaria argumenta , quibus ^{rum ad} aliquid Jure naturali vel præceptum , vel ^{Jus N. 3} prohibitum , vel etiam permissum esse arguamus. Idem enim est sapientissimus rationis ac revelationis auctor , quem a semetipso dissentire , & leges essentia immutabiles tollere , omnino repugnat. Ex quo triplex illa elicitur argumentandi ratio : ut I. nihil , quod in Sacris Litteris præcipitur , lege naturali prohibitum ; II. nec vicissim , quod iis prohibetur , hacce esse præceptum possit.

Usum nosse Bibliorum in quæstionibus Juris naturalis ad multa referre jam observavit HUG. GROTIUS de *J. B. & P. II* , §. 17 , quod quidem non eo pertinet , ut præcepta , vel vetita in Sacris Litteris , ea talia etiam esse in lege naturali statim arbitremur ; plures enim fuerunt divinæ leges solius populi Hebraici propriæ : sed id eam vim habet , ut saltem intelligamus , nullum præceptum , aut nullum vetitum in sacro Codice ferri potuisse , quod a recta ratione abhorreat. Ita , quoniam concedere *asylum homicidæ voluntario* , *Exod. XXI. 19* , & *Levitas tenere possessiones* , *Num. XVIII. 20* , prohibuit divinus Legislatores , absurdum foret , vel eum *asylorum morem* , vel *ecclesiastica rerum immobilium dominia* inter legum naturalium præcepta recensere. E contrario quum *plura delicta ab Hebræis morte puniri* , *Exod. XXI. 12* , & *fratris improlis viduam a fratre superstite duci oportuerit* , *Deuter. XXV. 5* , nemo salva pietate contendet , hujusmodi
facta

facta Legi alicui naturali adversari.

Quæ a
permissio-
nibus ?

§. 240. Denique III. quidquid in Divi-
nis Pandectis permissum esse legimus,
etiam Jure naturali licitum esse oportebit,
si sacer textus de plena, quæque etiam
ad forum internum spectet, permissione
loquatur (§. 107, Sch.). Secus autem fo-
ret, si permissio tantum esset minor ple-
na, & non nisi pro foro externo impu-
nitatem tribueret: illiciti enim manent
naturaliter hujusmodi actus, nec a pœna
interna & divina sunt immunes.

Verissime quidem traditum est ab H. GRO-
TIO *J. B. & P. I. I.*, 17, an plena sit, vel
plena minor permissio, id ex principiis Ju-
ris naturalis esse disquirendum; attamen si
quod adhuc dubium alicui superesset, locum
habeat illa collectio: Actiones a viris san-
ctis, nec eo nomine reprehensibilis susceptas
inter plene permissas esse annumerandas,
præcipue si ab ipso Deo certus agendi mo-
dus lege sit præscriptus, quod exemplis di-
vortii *Exod. XXI, 8*, Polygynæciæ *Deuter.*
XXI, 14, 15, Judicii zeli *Numer. XXV,*
8, & *I. Mach. II, v. 24*, abunde illustra-
tur. Aliter se res habet cum Rege, qui sua
potestate abutitur, *I. Reg. VIII, 11*; & cum
ultore sanguinis, quum nimirum propinquo
occisi homicidam extra asyli loca interficere
permittebatur; huic enim concessa videtur
impunitas tantum a civili pœna, *Numer.*
XXXV, 27. Cf. GROTIUS II. XX, §.
VIII, n. 6, & §. IX, n. 5; SELDENUS J.
N. & G. L. IV. C. I, & C. IV.

§. 241. Leges mere civiles omnes sunt ^{Jus N. est} particulares (§. 221), igitur ad jus uni- ^{Juris Ci-}versale tamquam rivuli ad fontem suum ^{villis fax.}referendæ sunt (§. 236). Speciatim vero Jus Civile Romanum magnam partem collectum est ex præceptis naturalibus (§. 213, Sch.); quare, qui ad horum normam loca vel supplet prætermiffa, vel declarat ambigua, errare nullo pacto potest. Ast multa quoque occurrunt populi Romani scita, quæ tantum arbitraria sunt, quædam autem quæ plane a ratione abhorrent. Cuinam vero vel priora a legibus necessariis discernere, vel posteriora corrigere sine Jurisprudencia naturali licebit?

Quibus vinculis & legibus cives inter se colligentur, non antea penitus intelligitur, quam cognita civitatis natura (§. 220), quæ cum explicetur in Jurisprudencia universali, ideo eleganter a CICERONE observatum est: *Considerandas leges, quibus civitates regi debeant, tum hæc tractanda, quæ composita sunt, jussa populorum, quæ vocantur jura civilia.* Porro non a prætoris edicto, vel XII tabulis, sed penitus ex intima Philosophia hauriendam Juris disciplinam: quod adeo necessarium sit, ut, qui aliter Jus civile tradunt, non tam Justitiæ, quam litigandi tradant vias; de LL. I, §. 5, & 6. Atque id profecto in omnibus accidit studiis perveniendi aliquo, quæ nihil profunt, nisi, ut idem scribit Romanus Orator, *illud, quod eo, quo*

intendas, ferat, deducatque, cognoveris; Orat. I, 30. Jus civile in parvum quemdam, & angustum locum concluditur, aut in Jure naturali quævis etiam rarissima species continentur, ut, qui in hoc sunt versati, si de casu insolito vel insolentissimo respondendum sit, non contremiscant cum Saliceto, sed provocent ad illud CICERONIS: *Hoc si minus Jure civili præscriptum est, lege tamen naturæ, & communi gentium jure sancitum est*; de Harusp. resp. cap. XIV: quocum consentit JÆTUS PAULUS: *Hæc, inquit, æquitas suggerit, (seu lex naturalis) licet Jure civili destituamur*; L. 2, §. fin. dig. de aq. pluvi. Quorsum respicere neglexit ACCURSIUS, nimis confidenter scribens: *Omnia in corpore Juris contineri*; ad L. 1, D. de J. & J. Nec minori adjumento est Jurisprudentia universalis ad leges civiles declarandas; quandoquidem, monente JÆTO CELSO, *in quæstionibus de bono & æquo (seu de Jure naturali) plerumque sub auctoritate juris (scripti) scientiæ perniciosè erratur*; L. 91, §. 3. D. de V. O. Ecquis vero hoc admittendum censebit, nisi Legulejus, quod scribit ULPIANUS, *licere servis naturaliter in suum corpus sævire*, L. 9, §. 7, D. de pecul.; vel quod jubet Novella LXXXIX, C. ult., liberis ex incestu procreatis etiam alimenta juste denegari; quod quidem ipso Jure naturali obtinere arbitratus est STRAUCHIUS *diff. IV, ad Univ. Jus Justin. C. III.* Corruit itaque animadversio illustr. SENKENBERGII, cui Jus naturale nihil aliud esse visum est, quam *Jus civile naturalisatum*; *Met. Jur. Append. II. §. 23.* Ex dictis enim abunde patet, a principiis

cipiis rationis normam accipere Jus civile, ejusque magnam partem Jus naturæ in scripturam redactum esse adpellandam, ipso consentiente CICERONE *de Off.* III, 17

§. 242. Inter Juris civilis capita illud Tum Jus ris criminæ nalis. postremum non est, quod leges continet de delictis, & eorum pœnis descriptas, vulgo criminales. Qua in re imprimis malefactorum veritas (§. 178), & magnitudo, tum quantitas imputationis (§. 183 sqq.), & denique pœnarum modus finesque (§. 186), diligentissime pernoscendi sunt, quo Justitiæ ultrici (§. 178) examumissim possit satisfieri. Quum igitur harum materiarum principia tradantur in Juris naturalis disciplina, non obscurum est, illius studium etiam in Jurisprudencia criminali utramque facere paginam.

Actiões minus rectæ pœna humana coerendæ legibus civilibus omnes comprehendî nequeunt, ast propterea imputationem etiam in foro externo effugere non debent. *Nec enim, ut ait CICERO, si regnante Tarquinio nulla erat Romæ scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sex. Tarquinius vim Lucretiæ attulit; de LL. II, 4.* Et quamquam Jurisprudencia naturalis pœnas externas non definiat pro quovis facto singulari, docet tamen naturaliter pœna dignos esse, qui delinquent, & regulas exponit, ex quibus naturalis pœnarum mensura cognoscatur; H. GROT. *J. B. & P.* II, C.

C. VIII, §. 20. Quomodo autem sine Jurisprudencia naturali quis ad perdifficiles illas respondebit quæstiones: Unde oriatur Jus puniendi? Quibus in delictis illud competat? Sintne relegatio, infamia, mutilatio, poenæ satis idoneæ? Liceatne aliquando delinquentem in quæstionem seu torturam dare? An & quænam peccata possint morte coerceri? Cur poena, quam quis meretur, sæpius ab ea, quæ exigitur, differre possit? Quando deceat Imperantem clementia, ex qua gratia legis fit? Cf. DARIUS. *Obs. J.N. XL.* Hæc quidem & hodie acriter disceptantur; plures tamen non tam rem a stirpe repetere, quam proprio potius ingenio indulgisse sunt inventi; scilicet haud satis illam meditati sunt legem, quæ, ut ait CICERO, *Justorum injustorumque distinctio est; ad illam antiquissimam & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbas afficiunt; de LL. II, §. 5.*

Atque Ecclesiastici.

§. 243. Jus Ecclesiasticum partim ex legibus divinis tam naturalibus, quam positivis (§. 222), partim ex constitutionibus humanis coaluit. Ex quo conficitur, ut quæ de usu Jurisprudentiæ naturalis cum in Theologia (§. 237), tum in Jure Civili (§. 241) antea tradita sunt, ea omnia etiam in Jure Ecclesiastico obtineant. Sed & id maxime præstat Juris universalis scientia, ut limites inter Ecclesiasticam potestatem a Christo institutam,

tam, & civile imperium nullo negotio statuatur. Illa enim non tam corpori, quam animo, & fini, qui humanam excedit intelligentiam, destinata est (§. 231); hoc vero ad scopum spectat ratione sola cognitum, nec actiones mere internas moderatur (§. 197), quapropter, posita licet revelatione, firmum tamen ac stabile permanfit (§. 231, Sch.). Ex quorum principiorum neglectione, incredibile dictu est, quanta malorum copia fit exorta.

Innumeræ prope sunt Juris Ecclesiastici regulæ, quæ, quia naturalem exprimunt honestatem, solidius profecto ex proprio rationis fonte explicantur. Quod vero ad regulas attinet arbitrarias, illud utique generatim cavere oportet, ne iis significatio naturali æquitati contraria tribuatur. Speciatim autem in singulis materiis solerter observandum est, nec civile imperium ad res spirituales pertinere, nec leges revelatas naturalibus civitatum juribus quidquam detraxisse (§. 231), quin potius, ut *omnis anima potestatibus sit subiecta*, Rom. XIII, 1, sqq., & ut reddantur *Deo, quæ Dei sunt, & Cæsari, quæ Cæsaris*, diserte inculcare, Matth. XXII, 21. Quam late autem pateant Cæsaris, seu potestatis civilis jura, non alio ex fonte colligitur, quam ex Jurisprudencia universali, a cujus neglectu tot, quæ in historia leguntur, publicæ calamitates pullularunt. Hos utique limites transilucere Imperatores Orientis, qui Arianos,

nos, Monothelitas, Iconoclastas, aliasque hæreses fovere; immo harum rerum cognitionem ad suum forum pertrahere, atque editis constitutionibus causam mere spiritualement decideri non dubitarunt. Sed etiam plura occurrunt in Jure Canonico capita; veluti Cap. 34, ✕, de *Electiōe.*, Clem. unic. de *sacr. unct.*, Extravag. *Unam sanctam inter Com. de major.*, a Jure Publico universali aliena, & porro ex hujus principiis corrigenda. Quorsum & infausta pertinet sententia, quam Cardinalis Julianus Uladislao Hungariæ Regi, ut eum ad pacem cum Amurathe initam violandam permoveret, anno MCCCCXLIV exposuit: *Cum infidelibus nullius omnino rei commercium inire licuit; & initum non tenet injussu Pontificis maximi*; CALLIMACH. in *Reb. Uladis.* L. III. Plura non addemus, sed cf. CELEBER. de RIEGER. *Instit. Jurispr. Eccl.* Sect. II, cap. IX, Viennæ 1765.

Ad illud exigendæ sunt aliæ leges, & mores populorum.

§. 244. Ceteros legum ab hominibus conscriptarum complexus, veluti Jus feudale & cambiale, silentio præterimus, factis enim ex dictis intelligi par est, cur in quovis recte obeundo Jurisprudentiæ munere (§. 211) Juris naturæ studio carere nemo possit. Illud addemus modo, hujus disciplinæ adminiculo varios quoque populorum mores an cum ratione consentiant, vel eidem repugnent, expendi oportere. Quamquam enim magna sit morum seu consuetudinis auctoritas, quæ ducitur a vetustate, nunquam tamen

men adeo valitura est, ut naturalem ever-
tat honestatem, seu Justitiam (§. 125).
Quare hujusmodi consuetudo non inter
agendi regulas usu receptas, sed inter
vitia (§. 164), & corruptelas erit referenda.

Multa ad *equitatem Juris naturae* & *gen-
tium* etiam in *Jure feudali* esse exigenda tra-
didit MASCOVIUS de *Jur. feud. proleg.*
§. VII, quod idem de *Jure cambiali* obser-
vavit JO. GOTTL. HEINECCIUS *Elem. Jur.*
Camb. C. 1, §. 14. Quapropter CHR. WOLF-
FIUS utriusque hujus juris principia uni-
versalia in parte V. *Juris naturalis* §. 1,
sq., & parte VI, §. 154, sqq. delineavit,
quem postea & alii sunt secuti. An negotia
clientelaria, vel collybistica sint celebrata,
cognitionis equidem historicae est; attamen
quam late pateat harum conventionum obli-
gatio, in *Jurisprudencia naturali* declaran-
dum. Atque ex hoc ipso fonte, qui aliquan-
do invalescunt pravi mores, veluti duellan-
di, & bona occupandi naufragorum, oportet
eradicari; GROTIUS *J. B. & P. L. II, C. VII, §. 1.* Recte igitur Imperator CON-
STANTINUS ethnicorum querelas, qui suas
impias consuetudines abrogari ægre fere-
bant, redarguit: *Consuetudinis, inquit, usus-
que longævi, non vilis auctoritas est, verum
non usque adeo sui valitura momento, ut aut
rationem vincat, aut legem; L. 2, Cod. quæ
fit long. consuet.*

§. 245. Denique si jus constitutum non
quavis auctoritatis trutina, sed rationis
statera

Cetera-
que om-
nia con-

Constituenda
Jura.

statera examinari opus est; constituendi quoque juris ab illa summa lege capiendum est exordium, quæ sæculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino civitas sociata. Quæcumque enim facta naturalem lædunt justitiam, ea nullius legislatoris jussu cohonestari possunt (§. 79). Atque ex his omnibus perspicuum est, inesse quidem in quavis Jurisprudentiæ parte suam dignitatem, usumque; nulla tamen cum hac nostra, si quis legum fontes & capita viderit, vel principiorum amplitudine, vel utilitatis ubertate esse comparandam.

Necessaria est legum conditoribus Jurisprudencia naturalis, primo ne quidquam legibus æternis adversum præscribant, dein ut præcepta rationis nova, si opus fuerit, muniant sanctione, denique ut quod naturaliter sive simpliciter, sive in certo statu permissum, atque indeterminatum est, ex loci, temporis, personæ, aliisque adjunctis determinare possint. Qua in re præclare more suo philosophatus est CICERO: *Constat, inquit, profecto ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque hominum quietam, & beatam inventas esse leges; eosque, qui primum hujusmodi scita sanxerint, populis ostendisse, ea se scripturos atque laturus, quibus illi adscriptis susceptisque honeste, beatæque viverent; LL. II, 5.* Igitur non modo lex illa Sardorum, ut filii patres senis

*confectos clavis interimant, ÆLIAN. III, 37, & IV. 7; & Cabadis Persarum Regis editum, ut omnes feminae communes essent, turpissimæ fuerunt corruptelæ, non leges, quarum altera etiam auctori suo capitis periculum creavit, PROCOP. bell. Persic. L. I, c. 4, p. 12; sed etiam ARCADII & HONORII intolerabilis constitutio est, qua innocentibus liberis perduellium vita lenitate imperatoria concedi dicitur, quia paterno deberent perire supplicio, L. 5, Cod. ad L. Ful. maj. Ceterum qui usum, præstantiam, & dignitatem Jurisprudentiæ naturalis satis profecuti sumus, longe tamen absumus ab illorum hæresi, qui leges fastidiunt humanas, atque omnes causas ex lege naturali dijudicandas esse arbitrantur; verissime enim observatum est a DARIÉSIO: *Experientiam docere, Jus naturæ omnia atque singula non ita definire, ut non plurima ad usus & civiles, & ecclesiasticos componi, atque accommodari, civitatum atque gentium intersit.* Obs. J. N. IX, §. 15.*

§. 246. Methodum mathematicam vocant eam disciplinas tradendi rationem, ac viam, quæ vagas adhuc & ambiguas non adhibet voces, sed illas prius accurate definit, quæ certa præstruit principia, & inde conclusiones legitimo nexu deducit, quæ denique propositiones ita collocat, ut illæ, quæ reliquis demonstrandis inserviunt, semper præmittantur. Quoniam Jurisprudentia naturalis evidentibus nititur principiis (§. 116), hinc

Quæ Methodus
convenit
J. N. disciplinæ.

hinc veritates certas exponit & necessarias (§. 122, & §. 125), atque adeo scientiam veri nominis constituit (§. 212); in aperto est, methodum mathematicam, seu philosophicam ad eandem quoque pertinere. Illud tamen facile damus in libris usui discentium, & methodi parum peritorum destinatis, a severo demonstrandi studio satius abstineri.

Non ignorasse veteres Philosophos, veluti Platonem, & Aristotelem, geometricas rationes, quae, ut ait CICERO, non persuadeant, sed assentiri cogant, & vim afferant in docendo, Academ. Quæst. IV, 36, satis quidem ostendit CEL. ERNESTI in *defensione vet. Phil.* edit. Lips. 1741. Attamen illorum multi, ipseque Aristoteles, doctrinæ morali apodicticam certitudinem abjudicarunt (§. 122, Sch.). Et quamquam hunc errorem refutare conati sunt NIC. HEMINGIUS in libello *de lege nat. meth. apodict.* Witt. 1562; dein PUFENDORFFIUS de J. N. & G. I, C. II, §. 5, aliique plures; nemo tamen integrum Juris naturæ systema perfecerat via hac mathematica, quam P. HONOR. FABRY S. J. in *Euphyandro* L. I, C. II, & L. II, C. 7, nec non Cardinalis PTOLOMÆUS S. J. in præf. ad *Phil. in omnibus disciplinis optimam, facillimam, ac opportunissimam esse* non asseruerant modo, sed etiam editis operibus comprobarant. Primus igitur fuit CHR. WOLFFIUS, qui difficultates contra evidentiam doctrinæ moralis

ralis obmotas, *γνομητικῶς*, ut verbis utar
 CICERONIS *ad Att.* XII, 5, *refellere* cu-
 piens, disciplinas morales omnes ad nor-
 mam rationis mathematicæ elaboravit. Non
 erat itaque ut hanc methodum P. DAN.
 CONCINA *Theol. Chr. Tom. VI.*, & P. ANS.
 DESING. *in Diatribe de meth. Wolff.* aliique
 exhiberent. Cujusmodi ingenia contra
 phantasmata potius sua, quam contra me-
 thodum pugnare recte animadvertit P. PHIL.
 STEINMEYER S. J. in Præfat. libelli, cui
 titulus est, *Regulae præcip. meth. math.*
 edit. Friburgi in Brisg. 1750, ubi simul,
 quatenus hac methodo sobrie utendum sit,
 solide declarat. Cf. & DARIUS. *Obs. Jur.*
Natur. VIII.

F I N I S.



I

Errores, qui fere ex editione *Vindobon.* an. 1780. quæ dicitur *correcta*, in *Conimbr.* an. 1794. irreperete.

Pag.	lin.	Err.	Corr.
3	11	pervenitur	perveniat
5	14	<i>cæpit</i>	cepit
6	26	14 ;	24.
7	23	Pufendorffus I. IV.	Puffendorffius O. H. I. IV.
	24	II. I. 8.	II. I. 4. <i>seqq.</i>
8	5	<i>significem, quod volo. Naturam</i>	<i>significem quod volo, Naturam</i>
	6	ab ea	ab eo
	7	<i>oriendum</i>	<i>ordiendum</i>
	33	<i>Naturam</i>	<i>Natura</i>
9	7	Numessen e	Numen esse
	12	<i>Div. VII. C. I.</i>	<i>Div. VII. C. III.</i>
	15	§. 822.	§. 822. <i>sch.</i>
	32	<i>summa, communis</i>	<i>summa communis</i>
10	17	essentiæ	essentia
11	23	<i>habituque</i>	<i>abituque</i>
12	22	<i>ratione</i>	<i>conditione</i>
13	14	Et sanæ	Et sanæ
	15	<i>incredibilem</i>	<i>vim quandam incredibilem</i>
14	9	concruant	congruant
18	4	<i>possint</i>	<i>possint</i>
	21	<i>Trist. III. II. V. v. 59. & Trist. v. 103. seqq.</i>	<i>Trist. II. v. 103. seqq. & III. V. v. 49. 50.</i>
20	10	<i>Humores</i>	<i>Humoris</i>
23	10	ACHENWAL- LUS §. 14 ;	ACHENWALLIUS Prol. §. II.
	18	MORATIUS	HORATIUS
24	18	<i>Met. II.</i>	<i>Met. III.</i>
25	10	<i>versor</i> <i>Mart. Exercit.</i>	<i>vorsor</i> †

Pag.	lin.	Err.	Corr.
	12	<i>deripior, ita nullum mentem</i>	<i>diripior, ita nubilam men- tem</i>
26	4	<i>ἐπιθυμίας</i>	<i>ἐπιθυμίας</i>
	5	<i>metuatve</i>	<i>metuatne</i>
	31	refert, ut bonos	refert ut bonos
27	23	V.G.A. BOU- GEAUTE	V.G.H. BOUGEANT
28	11	habeant ; in- telligere	habeant intelligere ;
29	20	repugnantium	repugnantiam
32	8	<i>Tusc. VI. 6.</i>	<i>Tusc. IV. 6.</i>
	10	<i>Emp. §. 886.</i>	<i>Emp. §. 880.</i>
35	12	mala	malæ
36	21	<i>cedo sæpe,</i>	<i>cedo, cape,</i>
	26	<i>cupido.</i>	<i>cupido,</i>
39	14	<i>de Inv. II.</i>	<i>de Inv. II. 57.</i>
40	7	phificum	physicum
	26	determinatum	determinata
42	25	<i>Ei devincta</i>	<i>Et devicta</i>
43	3	judicium hinc	judicium, hinc
	5	at	aut
	21	<i>Hercul. sur.</i>	<i>Hercul. Fur.</i>
44	13	21. §. 1:	21. §. 5.
45	23	<i>veritais</i>	<i>veritatis</i>
46	29	perfectio	perfecto
48	9	Stocis	Stoicis
49	19	<i>Jug. C. 101.</i>	<i>Jug. C. 96.</i>
	22	<i>L. 5. D. Præd.</i>	<i>L. 5. D. de Serv. Præd.</i>
	25	<i>Parad. V. C. 2.</i>	<i>Parad. V. C. 1.</i>
50	33	V. L. 28. §. 9,	V. L. 27. §. 9.
54	14	<i>XLI. ... ve- hemens</i>	<i>XL. ... vehemens. XLIII.</i>
	16	<i>tranquill. an.</i>	<i>tranquill. an. C. 4.</i>
	19	<i>Jug. 87.</i>	<i>Jug. 85.</i>
	23	<i>Joh. Ep. II. v. 16.</i>	<i>Joh. Ep. I. II. v. 16.</i>

Pag.	lin.	Err.	Cort.
	33	Ephes. II.	Ephes. II. v. 3.
55	30	<i>cultura ... præ- beat</i>	<i>cultura ... commodet</i>
56	16	hac pro	hac pro-
58	19	HEINECIO	HEINECIO II. 2.
		I. 1. 2,	
	22	C. I. §. 2.	C. I. §. 1.
60	5	pro Sull. C. 20,	pro Sull. C. 25.
66	17	<i>caussa</i>	<i>casu</i>
72	26	<i>quid</i>	<i>qui</i>
73	5	perfecta	profecta
75	33	& solum	est solum
76	8	intercedit	intercedit
	9	<i>ad non</i>	<i>ad hoc non</i>
	10	<i>alia</i>	<i>aliter</i>
	13	<i>posse</i>	<i>possit</i>
77	10	<i>Bacch.</i>	<i>Bacch.</i>
	12	R. R. II. 2.	R. R. XI. II. 40.
	14	N. D. III. 57.	N. D. III. 22.
78	12	<i>ad L. Coro</i>	<i>ad L. Corn.</i>
80	3	Prov. VII. 28	Prov. VIII. 27
	8	<i>quod sit</i>	<i>quam sit</i>
	25	I. 2. 2. 90.	I. 2. 2. 90. Art. 1.
	26	<i>de L. L.</i>	<i>de L. L. 1. 6.</i>
83	14	obligatione	obligante
	21	<i>qui magis be- neficio</i>	<i>qui beneficio</i>
	31	<i>de L. L. 1. 2.</i>	<i>de L. L. 1. 6.</i>
86	29	J. N. & G. I. VIII. C. IV.	J. N. & G. L. VIII. C. III. §. 4.
		§. 3.	
87	20	Deuter. XIII.	Deuter. XXIII. 1.
		I.	
88	23	O. M. I. IV. §. I.	J. N. I. VI. §. 1.

Pag.	lin.	Err.	Corr.
89	20	I. N. & G.	O. H. & C.
90	2	de L. 1.	de L.L.
92	20	II. III. 15.	II. III. 5.
	21	II. VII. §. 3.	I. VII. §. 3.
	23	utrum lex	utra lex
93	24	habent, mala	habent mala
94	7	comparativum	comparative
	20	de Civ. I. 14.	de Civ. XIV. 1.
	24	ulla	nulla
95	34	Art. 8. ad 2.	Art. 3. ad 2.
96	27	voluntario	involuntario
97	15	(§. 24.)	(§. 14.)
99	8	C. 1. §. 14.	C. 1. §. 15.
	34	(§. 47.)	(§. 74.)
101	4	I. IV. 10	I. V. 10.
102	13	L. 7. §. 3. & L.	L. 7. & L. 123.
		223	
	28	nominatur	nominantur
	31	propositis	præpositis
	33	καδικον	καθηκον
103	3	sed id	sed in
	8	κατορδωμα	ικτησθωμα
	19	Benef. 8.	Benef. 18.
104	27	Facil. V. C. II.	Facil. C. II.
105	12	(§. 37.)	(§. 47.)
	19	(§. 80.)	(§. 80. sch.)
106	7	tamen adfit	tantum adfit
107	24	(§. 10. 45)	(§. 10. 54.)
108	4	§. 119	§. 209.
109	2	quodam	quonam
	22	Sat. III. v. 112	Sat. III. v. 111.
111	3	regi	regi ?
	7	I. c.	I. c.
114	19	paere	patere
	30	naturatis	naturalis

Pag.	lia.	Err.	Corr.
115	5	hunc primum	hinc primum
	17	neque	ne que
118	2	is omnibus	iis omnibus
	5	<i>de Civ. II. 33.</i>	<i>de Civ. III. 33.</i>
119	14	<i>L. I. Dig.</i>	<i>L. I. §. 9. 12. D.</i>
	33	<i>Grot. II. §. X.</i>	<i>Grot. I. I. §. 10.</i>
120	27	dobis	nobis
122	18	VIII. 8.	VIII. 3.
	23	C. II. §. 6. 8.	C. II. §. 3. 4.
	36	HOLLMAN	HOLLMAN §. 35.
		§. 25.	
123	5	<i>sancit, quod</i>	<i>sancit quod</i>
130	3	<i>L. 5. D.</i>	<i>L. 1, D.</i>
	6	<i>§. 15. Inst.</i>	<i>§. 11. Inst.</i>
	20	<i>Mil. C. I. V.</i>	<i>Mil. C. IV.</i>
	35	<i>q. XVII. Art.</i>	<i>Q. XCIII. Art. I.</i>
		I.	
133	32	<i>exoriuntur</i>	<i>exoriantur que</i>
		<i>que</i>	
135	9	<i>primæ naturæ</i>	<i>prima naturæ</i>
	12	<i>II. XXIII. 2.</i>	<i>II. XX. 5.</i>
	13	<i>Puf. I. III.</i>	<i>Puf. II. III. 13.</i>
	19	<i>Hobb. l. c.</i>	<i>Hob. l. c. §. 4.</i>
	31	<i>Pr. Inst.</i>	<i>§. 1. Inst.</i>
137	36	<i>recte</i>	<i>recta</i>
138	28	<i>Gen. XI. 21.</i>	<i>Gen. IX. 21.</i>
140	24	existentian	existentiam
142	5	opinione	opinionem
143	21	(§. 107.)	(§. 104.)
145	11	veritates	veritates
147	7	<i>Grot. Ex I.</i>	<i>Grot. Ex. I.</i>
	10	BURLAMA- QUIUS XI.	BURLAMAQUIUS II.
148	14	principium,	principium,
	29	(§. 80.)	(§. 79.)

Pag.	lin.	Err.	Corr.
150	6	etim	etiam
	11	<i>Brut.</i> 45.	<i>Brut.</i> 41.
	21	III. C. IV.	II. C. IV.
	32	(§. 19.)	(§. 109.)
152	2	II, II, 3, 6, 7, & IV, 5,	II. II. 3. 7. & IV. 1. 5.
	15	<i>discendum esse</i>	discendum esse
154	7	(§. 58.)	(§. 59.)
	20	cauſſm	cauſſam
	31	<i>hominis</i>	<i>homini</i>
155	10	Philosopbia	Philcſophia
	18	& LL. 23.	& LL. I. 23.
	30	facilis	facilis
156	28	tantum	tantam
157	5	ttingat	attingat
158	8	79, 95)	79. 92.)
159	22	§. 50, 53	§. 50--53.
161	14	<i>ejuſdem</i>	<i>cujuſdam</i>
162	12	(§. 102)	(§. 103)
166	4	<i>Cylindram</i>	<i>Cylindrum</i>
	14	<i>Pſ. XVIII.</i> v. 19	<i>Pſ. XVIII. v. 9.</i>
167	27	<i>Prol. §. 38</i>	<i>Prol. §. 58.</i>
169	24	<i>I. ſqq.</i>	<i>I. §. 9. 41. 42. ſqq</i>
	29	<i>abrogari</i>	<i>obrogari</i>
170	19	(§. 121)	(§. 99. ſch.)
171	14	<i>ſ. D. L. I.</i> C. 2. ſeqq.	<i>ſ. D. L. I. C. II. §. 98. ſeqq.</i>
	22	<i>ſed num</i>	<i>ſed nunc</i>
172	35	<i>ſalutaibus</i>	<i>ſalutaribus</i>
174	4	<i>Hune</i>	<i>Hanc</i>
	20	(§. 67)	(§. 61.)
176	10	<i>habeant, quod</i>	<i>habeont quod.</i>
	12	<i>de LL. 17.</i>	<i>de LL. I. 17.</i>
	14	<i>Pſ. LVIII.</i>	<i>Pſ. XVIII.</i>

Pag.	lin.	Err,	Corr.
177	14	§. 125	123.
180	6	Sinesium	Sinensium
	31	(§. 99, sch.)	(§. 96. sch.)
	33	(§. 125)	(§. 105.)
181	6	(§. 188, sch.)	(§. 118. sch.)
	28	Prov. III. 1.	Prov. III. 2.
182	23	ii	iis
184	7	ind fit	inde fit
	8	(§. 19.	(§. 59.
	15	toti	tota
	19	(§. 7, & §.	(§. 70. & §.
	21	(§. 129)	(§. 127.)
	34	§. 125), sed	§. 125.). Sed
185	20	Div. VIII. C. 6.	Div. VI. C. 8.
	23	L. 7. sqq. de LL.	L. 8. sqq. de LL.
187	30	(§. 65, §. 123, sq.)	(§. 61. §. 123. sq.)
	32	§. 118, sch.)	§. 120 sch.)
188	14	Civ. I. §. 14.	Civ. I. §. 15.
	16	I. I. C. I.	L. I. C. II. (?) *
	25	vere	veræ
	28	de LL. 17.	de LL. I. 17.
	33	ratio	natio
190	8	quid a læsioni	quod a læsione
192	19	fr 14	Fr. I. 14.
193	5	permissiva	permissiva.
	8	§. 2. D. de in jur.	§. 1. D. de Injur.
	27	(§. 105,	(§. 103.
	28	subces. 1731. trim. vern. n. 2.	subsec. 1729. Trim. brum. II.
194	17	135)	136.)

* Nusquam, quod sciam, id disertim: ibi vero quid simile reperitur; dum honesti inhonesti sunt que distinctio, non a Natura ope Rationis petitur, sed ab hominum instituto.

Pag.	lin.	Err.	Corr.
195	3	L. <i>J. un.</i> §. 9. <i>sch. II.</i>	I. <i>J. Un. Pr.</i> §. 9. <i>sch. II.</i>
	8	8, 90.	890.
196	10	moralis, quod	moralis quod
	33	(§. 135)	(§. 137.)
197	2	coligitur	cogitur
198	8	II. <i>sc.</i> IV. v. 82	II. <i>Sc.</i> IV. v. 83.
199	5	<i>vita, jussis</i>	<i>vita jussis</i>
201	3	§. 147.	§. 747.
	11	L. 213. D.	L. 213. §. 1. D.
	16	<i>his, qui</i>	<i>his, quæ</i>
202	29	Ulpiano	Paulo
	31	<i>de retin. vel o-</i> <i>mit.</i>	<i>de adquir. vel amit.</i>
203	5	corrumpe,	corrumpe-
205	4	Stobeum	Stobæum
	15	(§. 134)	(§. 136.)
206	25	<i>ut se vitam,</i>	<i>ut se, vitam,</i>
207	21	(§. 84, <i>sch.</i>)	(§. 148. <i>sch.</i>)
208	4	(§. 135)	(§. 135. <i>sch. I.</i>)
209	3	Caius scribit: <i>Jus</i>	Cassius scribit; <i>idque jus</i>
	23	(§. 154, 142)	(§. 145. 142.)
210	3	<i>Quæ infr. cred.</i>	<i>Quæ in fr. cred.</i>
	22	<i>Obs. XXXVII.</i> §. 12	<i>Obs. XXXVII. §. 11.</i>
211	13	contrariam	contrarium
	27	(§. 132)	(§. 143.)
212	2	§. 9.	§. 10.
213	25	<i>J. N. & G. I.</i> <i>VI. 7.</i>	<i>J. N. & G. I. VII. 7.</i>
	26	<i>Pr. I. §. 237;</i> DARIESIUS <i>I. J. U. §. 253,</i>	<i>Pr. I. §. 235. 237. DA-</i> RIESIUSI. <i>J. U. §. 153.</i>

Pag.	lin.	Err.	Corr.
214	17	§. 121.	§. 131.
215	11	<i>facientem, quod</i>	<i>facientem quod</i>
216	19	sicut	si ut
	30	<i>ad quod</i>	<i>in quo</i>
218	28	scopum	statum
119	10	C. 1. §. 11.	C. 1. §. 13.
	18	<i>de Div. 11.</i>	<i>de Civ. XI.</i>
220	14	L. 13. D.	L. 13. §. 1. D.
	25	C. VIII. §. 31	C. VII. §. 2.
221	26	distinxit ; ... ex L. 60.	distinxit ; ex L. 10.
	27	§. <i>Inst.</i>	§. 3. <i>Inst.</i>
	33	L. 179	L. 197.
223	9	<i>Nat. D. II. 38</i>	<i>N. D. II. 58.</i>
224	25	§. 87.	145
225	9	§. 421.	§. 321
226	28	<i>verecundiam</i>	<i>verecundiæ</i>
	32	quam alii	quam alieni
227	13	ex L. 1.	ex L. 2.
	14	<i>de aq. & Aq. pl.</i>	<i>de Aq., & aq. pl.</i>
	17	112, <i>sch.</i>)	122. <i>sch.</i>)
	18	§. 160	§. 240. <i>sch.</i>
228	23	TERVERI, CHAR. MI- CHAELIS	TREUERI, CHAR- MICHAELIS
	36	§. 233.	§. 232.
229	12	ed setiam	sed etiam
	36	VIII, III, §. 3	VIII. III. §. 5.
231	17	uno quoque	unoquoque
	27	IV. II. §. 11.	II. §. 11.
	30	I. B. & P. I. §. 8.	I. B. & P. I. I. §. 8.
232	26	(§. 18)	(§. 82)
	32	(§. 164)	(§. 165.)
233	22	(§. 134)	(§. 165)

Pag.	lin.	Err.	Corr.
	31	id est promtitudo, quod alii bonum est, agendi	id est, promptitudo quod alii bonum est agendi,
238	15	Stoci	Stoici
	31	Epist I.	Epist. XVI.
240	9	Ofilii	Ofilii.
241	24	VII. 29	VII. 26.
242	4	(§. 44, sch.)	(§. 45. sch.)
	13	L. 16, §. 2.	L. 16. §. 1.
244	11	siquis caut. jud.	siquis caut. in jud.
246	6	florum	filiorum
	31	assignatur	assignantur
248	14	(§. 29)	(§. 33.)
249	34	(§. 137, sch.)	(§. 30. sch.)
250	18	Inv. I.	Inv. I. 21.
251	28	Otoni	Othoni *
254	19	influisse	influxisse
255	6	L. I. §. 1.	L. I. §. 4.
	17	I. §. 2.	I. §. 1.
	18	de naut. caup.	Naut. caup.
256	2	L. 5. §. 6. & 7. ad L.	L. 5. §. 6. & 7. C. ad L.
	28	(§. 48, sch.)	(§. 47 sch.)
258	3	æpe	sæpe
	10	in superos	in superis.
	16	(§. 37)	(§. 38.)
	32	41 ÷ de R. Jur.	41. de R. Jur. in 6.
259	6	arcesserunt	arcessierunt
	11	inquit, si	inquit, ei, si
	23	sommo	somnio
260	22	voluntaria	involuntaria.
	29	Divinat. C. VI	Divinat. II. C. 71.
261	5	Off. Præf.	Off. Præs.
262	6	cæcutiant	cæcutiunt

* Vertus Vitellio.

Pag.	lin.	Err.	Corr.
	7	stauant	statuunt
	8	quærat ^r	quæritur
	20	pro Lycurg. pag.	pro Lycurg. liber. pag.
	36	Rom. IV. 4.	Rom. IV. 8.
263	4	(§. 49)	(§. 40.)
264	33	(§. 155)	(§. 156.)
265	10	Fast. II, 819.	Fast. II. 829.
	24	<i>animum</i>	<i>animam</i>
	28	<i>filiam</i>	<i>filium</i>
	35	N. A. XII. 8.	N. A. XII. 7.
266	7	CIGERO	CICERO
	14	I. J. Un.	I. J. Un. *
267	9	nox act.	<i>nox. act.</i>
	13	XXV. C. 40.	XXVI. C. 40.
268	23	(§. 168)	(§. 186.)
269	2	(§. 64, <i>sch.</i>)	(§. 165. <i>sch.</i>)
	6	Matth. XIII.	Matth. XXIII.
	8	<i>accipiunt</i>	<i>accipient</i>
	27	<i>prærogativa peccamus</i>	<i>professione peccamus</i> * *
270	8	(§. 73)	(§. 73. <i>sch.</i>)
	35	<i>veniam tam dari</i>	<i>veniam mage dari</i>
271	22	Ph. Pr. A. I.	Ph. Pr. P. I.
272	11	L. 23.	L. 23. §. 4.
	23	Off. L. 8.	Off. I. 8.
274	10	D. de oblig.	D. de Verb. oblig.
275	29	L. 21	L. 32.
277	5	(§. 54)	(§. 55.)
	30	L. 198.	108.
	33	<i>si ad delict</i>	<i>si adv. delict.</i>
278	19	<i>natura</i>	<i>naturam</i>
	24	<i>recedisse</i>	<i>occidisse</i>
281	9	v. 333.	v. 334.


* Forte in editione alia ab illa Jenensi an. 1764.

** Lib. IV. C. XII. p. 83. in edit. Baluz. an. 1684.


Pag.	lin.	Err.	Corr.
	29	El X, v. 13;	El. X. v. 43
282	31	Nat. D. III 5.	Nat. D. III. 35
283	6	C. 53.	C. 58.
284	25	<i>commiserunt</i>	<i>commiserint.</i>
	27	<i>peccarunt,</i>	<i>peccarint.</i>
286	5	Matth. V, 33.	Matth. V. 34.
	14	BURLAMAQ.	BURLAMAQ. VIII. §.
		II. IX. §.1.	I.
	25	(§. 89)	(§. 79)
	30	(§. 84,	(§. 74.
287	34	Timot.	Timol.
289	15	XXX, 7:	XXXV. 4.
	18	XV, 25	XVI. 25.
290	19	interna	interea
	25	53, quia	59. quia
291	23	nec secus	ne secus
	25	at iniquis	at inquis
293	7	§. 1. seq.	§. 6. seq.
294	23	<i>nostra jure</i>	<i>nostro jure</i>
297	14	(§. 72)	(§. 73)
298	18	I. II, 2, Q.	I. 2. Q.
	28	(§. 305)	(§. 205.)
299	16	<i>confisi</i>	<i>confisi</i>
300	27	L. 17.	L. 24.
301	22	CAJUS	ULPIANUS
	27	Ex qua objecta L.	Quæ ex objecta L.
303	33	Natan	Nathan
307	8	obligationem	obligationum
308	11	discrepandis	describendis
	19	<i>Orat.</i> 48	<i>Orat.</i> I. 48.
310	29	videretur; ANT.	videretur ANT.
	33	Off. I, 44,	Off. I. 43.
312	24	II, 22, 52.	II. 22. 53.
313	6	<i>confingat</i>	<i>confingat</i>


Pag.	lin.	Err.	Corr.
314	3	bonos fiunt	bonos mores fiunt
	4	(§. 85)	(§. 85. <i>sch.</i>)
316	8	(§. 139)	(§. 136.)
317	6	hominum	hominem
	19	Off. III, 16,	Off. I. 16.
319	6	intra	infra
320	28	L. 29	L. 9.
321	26	<i>Politicum</i>	<i>poplicum</i>
	27	GRUNTER <i>In-</i> <i>scr. pr.</i>	GRUTER <i>Inser. pag.</i>
323	3	§. 280.	§. 208.
324	3	Sect. V.	Sect. VII.
325	15	<i>Uirg. Georg.</i>	<i>Uirg. Æn.</i>
327	24	<i>natura ; inde</i>	<i>natura petitem ; inde</i>
	33	(§. 216	(§. 218.
328	21	(§. 210	(§. 219.
331	16	nec secus	ne secus
332	9	<i>Gnathonum</i>	<i>Gnathonem</i>
	31	(§. 8)	(§. 89.)
334	25	I, I, §. 6,	I. II. §. 6.
335	15	L. II, C. II,	L. I. C. II.
336	6	L. I, §. 75;	C. I. §. 75.
337	33	I. Cor. XI,	I. Cor. IX.
338	16	proprius	propius
	25	I, I, I, 6, <i>Viebi-</i> <i>mus</i>	I. II. 6. <i>Videbimus</i>
339	7	ut illarum	ut illorum
340	6	calidam	solidam
341	7	(§. 220)	(§. 142.)
342	31	repetitur	reperitur
343	22	<i>Pand. sq.</i>	<i>Pand. sp.</i>
344	7	Angulos	Anglos
345	6	(§. 8)	(§. 10. <i>sch.</i>)
346	19	<i>edit. ser.</i>	<i>edit. Ser.</i>
347	17	Helen. v. 92, 8.	Helen. v. 928.

Pag.	lin.	Err.	Corr.
349	16	II, §. 17,	I. I. §. 17.
	26	Exod. XXI. 19,	Exod. XXI. 14.
350	25	XXI, 14, 15,	XXI. 15.
	35	L.IV.C. I, & C. IV.	L. IV. C. II. & C. IV.
351	3	(§. 221)	(§. 220.)
352	15	L. 2, §. fin.	L. 2. §. 5.
353	14	(§. 178	(§. 166.)
354	26	constitutioni	constitutione
356	9	Clem. unic.	Cap. unic.
361	2	γενεαλογικῶσ	γενεαλογικῶσ



Page	Line	Text	Text
349	16	El. p. 15	El. p. 17
	16	El. p. 15	El. p. 17
350	15	NK. p. 15	NK. p. 15
	15	L. p. C. 1 & C. 2	L. p. C. 1 & C. 2
351	5	(p. 15)	(p. 15)
352	5	(p. 15)	(p. 15)
353	5	(p. 15)	(p. 15)
354	5	condition	condition
355	5	Clara. vnc.	Clara. vnc.
356	5	condition	condition





MARTINI

EXERCITATION,

Sala

Gab. 1

Est. 8

Tab. 1

N.º